


Made in Spain

240050



Al Colegio de la Comp. de ss: de Granada. 82
8/7737

PETRI POMPONATII

M A N T V A N I

PHILOSOPHI CLARISSIMI,

*Dubitaciones in quartum Meteorologicorum
Aristotelis librum,*

NVNC RECENS IN LVCEM EDITAE.


Cum dupli Indice, altero quidem dubitationum, quæ per
seriem singulis capitibus proponuntur; altero autem
rerum memorabilium.

Cum Priuilegiis.



V E N E T I I S,

Apud Franciscum Francisci. 1563.



AD ILLVSTRISS.
ET REVERENDISS.

CARDINALEM

LUDOVICVM MADRVICIVM,

TRIDENTINVM PRINCIPEM ET
EPISCOPVM DESIGNAT.

Nicolaus Beuilaqua Tridentinus, Typographus. S. P. D.



I B E A T A Respublica est, in qua aut philosophi principes sunt, aut principes philosophantur, ut maximi Platonis sententia est; latandum profecto nobis, Princeps Sacerrime, etiam atque etiam; quorum patriæ, Dei summi beneficio, tu, non diuinarum solum & humanarum rerum notitia, sed re ipsa, & naturali prudentia, iustitia, animi fortitudine, continentia, liberalitate, uitæ denique ratione prorsus inculpata ~~principatus~~, princeps fueris cooptatus. Hac ubi ciues tui in mentem reuocant; ad hac uero & familia quoque tua nobilissima, & tuorum in patriam collata beneficia memoria subeunt; immensa omnes latitia perfunduntur, diuinam munificentiam continuis laudibus commendant, & te ipsum admirantur. Hac eadem, quum in mentem mihi ueniunt, uenient autem sape; dumq; ob presentem futuramq; patriæ nostræ felicitatem uehementissimo gaudio afficior, incredibili simul desiderio totus commoueor, ut tantam hanc animi mei uoluptatem, & conceptam de tua, imo nostra amplitudine spem, omnibus, praesertim uero tibi palam faciam. Caterum id quod ferè in hominum rebus euénit, honesto huic desiderio, tantum, depresso atque humilis fortuna & status reluctatur, ut neque ipse, quod debeo & uelim, bactenus præstiterim; neque tu officium meum, & animi mei gratitudinem agnoueris. Obtulit se tandem occasio, leuis illa quidem & humilis, si rem spectes; at neque te ipso tamen indecora, quamvis longo nimium interuallo dispar; neque meis omnino uiribus maior.

* 2 Quum

Quām n. Libellus quidam Petri illius Pomponati, sua et atis p̄biloſo-
 phi maximi, in manus meas inciderit, in quo de ijs doctissimè differi-
 tur, que Arist. in 4. meteorolog. lib. scripta reliquit; atque hunc, quia
 apud paucos esse, & à multis desiderari intelligo, euulgare meis ty-
 pis proposuerim; in te statim Princeps opt. maximum literarum
 fautorem, conieci animum; cui hoc, non meum certè, sed opera tamen
 mea & studio è tenebris erutum, opus dicaretur. ut & tuis auspicijs
 respubl. literatorum pulchro hoc & pracioſo munere largiatur, ſuſcep-
 tiq; huīus tibi gratias habeat; & ego interea principi meo animi mei
 gratitudinem, quo licet pacto, ſignificem; clarioribus tamen & ma-
 joribus propè diem, fidem obſeruantiamq; in te meā ſignificaturus.
 Suſcipe ergo hoc, qualecunque, ſerui tui munuſculum, animi in te
 mei arrhabonem, fronte hilari & lato animo. Deus vero Opt. Max.
 fateat rebus tuis, ut te ad eam tandem euectum dignitatem intelli-
 gamus, Reipublica Christiana beneficio; qua & tu certè ipſe es di-
 gnus, & boni uno omnes ore conſentiant. Venetijs Calendis Auguſti,
 M. D. L. X I I I .

DVBITATIONVM OMNIVM,

QV AE IN HOC OPERE

CONTINENTVR.

E L E N C H V S.

- | | | |
|-----|--|---------|
| 1. | An liber quartus sit Meteorologicus | car. 1 |
| 2. | An in mixtis caliditas & ſiccitas paſſiones patiantur | ca. 1 |
| 3. | An quatuor qualitates ſint omnes actiuae, uel omnes paſſiuæ | car. 1 |
| 4. | An corruptio qualitatum in mixto fiat per accidens | car. 2 |
| 5. | An diffinitio caliditatis et frigiditatis ſit per posteriora | car. 2 |
| 6. | An diffinitio calidi ſit bene data. | car. 2 |
| 7. | An qualitates terminentur termino proprio | car. 3 |
| 8. | Quæ ex quatuor qualitatibus ſit magis actiua | car. 3 |
| 9. | An eadem qualitas tantam habeat actionem, quantam habet reſi-
ſtentiam | car. 4 |
| 10. | An ad generationem requiratur, quod non ſit contrarietas in quali-
tatibus | car. 4 |
| 11. | Quid uelit ſibi dominari inter qualitates | car. 4 |
| 12. | An omne mixtum declinet ab æquali ad pondus | car. 6 |
| 13. | Quomodo putrefactio contrarietur generationi | car. 7 |
| 14. | An omnia elementa putrefcant | car. 8 |
| 15. | An simplici generationi putrefactio ſit contraria | car. 8 |
| 16. | An generatio ſit maximum contrarium generationis | car. 9 |
| 17. | An omnis corruptio fiat per putredinem | car. 9 |
| 18. | An putredo ſit corruptio caloris innati | car. 12 |
| 19. | An corruptio alimenti ſit putrefactio | car. 15 |
| 20. | An putrefactio ſemper præcedat generationem | car. 16 |
| 21. | An putredinis diffinitio omnia cauſarum genera complectatur | car. 16 |
| 22. | An putredo ſit effeſus calidi, et frigidi | car. 16 |
| 23. | An ſicut omnis naturalis corruptio est putrefactio, ſic omnis putre-
factio ſit naturalis corruptio | car. 17 |
| 24. | An qualitates actiuae an paſſiuæ, dominantur in generatione | ca. 17 |
| 25. | An putrefactio contrarietur generationi | car. 17 |
| 26. | An putredo fiat ab aliena caliditate | car. 18 |
| 27. | An digestio inſequatur calidum, an frigidum | car. 18 |
| 28. | An digestio ſit putrefactio à calido ex oppositis paſſiuis | car. 16 |

Quæ sit uera materia digestionis	car. 20	62. Cūr quædam animalia generentur sub niue, & in igne	car. 37
29 An lac possit uere dici digestum, & indigestum	car. 20	63. Quomodo animalia generata sub niue, possint nutriti	car. 37
30 In quo capite debeat ponilac, an in cap. de maturatione, an de affa-	car. 20	64. Quomodo animalia in igne euententur	car. 38
tione	car. 20	65. Num possit reperiri homo, qui ab igne non comburatur	car. 38
31 An aqua possit elixari	car. 20	66. An sensus tactus cognoscat omnem qualitatem tangibilem	car. 38
32 An caro assata sit humidior elixata	car. 21	67. An rō Arist. qua probat oē corpus durū esse uel molle, sit bona. c. 39	car. 39
33 An frixa dici possint assata	car. 21	68. An Arist. bene determinauerit de coagulatione	car. 39
43 Quæ humidiora sint, elixata, an assata	car. 21	69. Num uerum sit quod coagulare sit desiccare	car. 39
35 Lac in mammis & extra, an sit in eodem capite	car. 21	70. An aer habeat humidum, ipsum specificans	car. 39
36 An carnes elixæ sint moliores non elixis	car. 22	71. An frigidum sit actuum solū per accidens	car. 40
37 Cūr in fine capitis, de affatione mentionem faciat	car. 22	72. An aqua possit desiccari	car. 40
38 An caro prius elixa deinde affa, dicatur assata	car. 22	73. An desiccatio possit fieri à frigido	car. 40
39 An inter stateusim, & tostionem sit differentia	car. 22	74. An calidum & siccum sint coagulantia	car. 41
40 An sit dari propria ac uera tostio	car. 22	75. Cūr Arist. in tex. 36. de humiditate tacuerit	car. 41
41 An elixationi, & affationi, sint contraria molynsis, & stateusis	c. 22	76. An sal exsiccatur à calido, & sicco	car. 41
42 An uermes possint generari in stomacho	car. 23	77. An mel elixatum coaguletur ab aqua	car. 41
43 An species digestionis, & indigestionis habeant commune genus,	car. 23	78. An quod liquefit à calido, coaguletur à frigido	car. 41
& proprias differentias	car. 23	79. An frigidum cum sicco faciat coagulationem	car. 41
44 An pepansis sit in seminibus	car. 25	80. An aqua possit ingrossari	car. 42
45 An assatio sit in ætate iuuenili	car. 25	81. Quæ sit differentia congelationis, & ingrossationis	car. 42
46 Digestio, an magis reperiatur in animatis, quam inanimatis	car. 25	82. An aqua congeletur, & ingrossentur	car. 42
47 An diffinitio digestionis conueniat elixationi & affationi	car. 25	83. An quando glacies generatur, eadem ne ingrossetur	car. 42
48 An optesis fiat arte uel natura, & num sint eadem species	car. 27	84. An sal liquefiat frigido humido	car. 42
49 An digestio in mixtis inanimatis, sit uera digestio	car. 28	85. An magis aqua quam terra ingrossentur tantum à calido	car. 42
50 An omnis digestio ingrossando procedat	car. 28	86. Cūr Arist. in textu 40. non soluit quæstionem de oleo	car. 42
51 An digestio procedat calefaciendo	car. 32	87. Quomodo oleum ingrossetur tam à frigido, quam à calido	car. 42
52 An putredo sit digestio, uel è contra	car. 32	88. An mixtum ex oleo & aqua, sit grossius oleo	car. 43
53 An per eundem calorem fiat putredo, & digestio	car. 34	89. Per quam causam albescat oleum	car. 43
54 An eadem materia de facto congregaretur & separaretur, si idem di-	car. 34	90. An ex separatione aquæ albescat oleum	car. 43
gereretur, & putreficeret	car. 34	91. An in ingrossatione olei desiccatur humiditas	car. 43
55 Quæ sit materia immediata & efficiens eorum, quæ generantur ex	car. 34	92. An sanguis possit coagulari à frigiditate	car. 43
putri materia	car. 34	93. An possit solui à calido, quod prius fuit à calido coagulatum	car. 43
56 An coagulatio, & liquefactio debent attribui humido, & sicco,	car. 35	94. An coagulata à calido & à frigido, sint ab eisdem solubilia	car. 44
57 An tranquillæ materia	car. 35	95. An omnia ligna sint aerea	car. 44
58 An aliquod actu humidum possit exsiccare	car. 36	96. An lateres sint tantum terrei	car. 44
59 Cūr non possit iteri glacies congelata, cum sit sicca	car. 36	97. An quæ liquefiunt à frigido, coagulentur à calido	car. 44
60 An omne mixtum, à prædominio dicatur uel terreum, uel aqueum	car. 36	98. An in omni corpore insit caliditas, in aliquibus uero frigiditas	c. 44
61 An animalia possint uiuere in igne	car. 36	99. An enumeratio passionum mixtorum sit bona	car. 44
62 An repérianter aliqua mixta à prædominio aerea, uel ignea	car. 37	100. An omnis coagulatio fiat uel à calido, uel à frigido	ca. 45

- 102 An ad præsentiam humidi liquefiant coagulata per absentiam eius
 car. 45
 103 An frigidum causet coagulationem
car. 45
 104 An quæ non habent humiditatem aquosam, sint incoagulabilia. c. 46
 105 An mel ingrossetur à calido
car. 46
 106 An mustum possit coagulari
car. 46
 107 Argentum uuum, oleum, & gluten, cur non coagulantur
car. 46
 108 An seuum sit coagulabile, & quare
car. 46
 109 An Arist. bene tractauerit de congelabili
car. 47
 110 Liquefieri, & madefieri an habeant diuersas dispositiones
car. 47
 111 An lignum sit impressibile
car. 47
 112 An aqua sit capibilis, quemadmodum sunt ductilia
car. 47
 113 Cur Arist. dixit, ustibilia esse, quæ habent poros secundum longum,
 & non secundum latum
car. 47
 114 An actio fiat per poros in ustibilibus
car. 47
 115 An exhalatio sit extractio sicci & humidi aeris
car. 47
 116 An uenti moueantur secundum longitudinem
car. 48
 117 An uapor fiat à calido ustuo in aerem
car. 48
 118 Quid sit fuligo
car. 48
 119 An oleum ingrossetur in elixatione
car. 48
 120 An uinum dulce congeletur à frigiditate
car. 48
 121 An ustibile sit illud, quod uertitur in cinerem
car. 48
 122 An ea, quæ euaporant, sint aquæ
car. 48
 123 Quomodo aliquod mixtum possit esse terreum à prædominio, &
 fluidum
car. 48
 124 An quæ coagulantur à calido sint communia aquæ, & terræ
car. 48
 125 An quod ingrossatur à frigido sit terreum
car. 48
 126 An quod coagulatur à solo frigore, sit terreum
car. 48
 127 An ligna euaporent
car. 49
 128 An sanguis sit terreus
car. 49
 129 An omnia terrea sint calida, aquæ autem frigida
car. 49
 130 An operatio manus sit notior operatione ignis
car. 49


F I N I S.

R E R V M

R E R V M Q V A E S C I T V

D I G N A E V I S A E S V N T,

Alphabeticus Index.



C T I O in ustibilibus, non fit principaliter per poros c. 47	Congelatio non semper fit ab humido 43
Aer non est materia congelatio- nis car. 42	Contrarietas maxima est extremitate 7
Alteratum omne, ab extrin- seco alteratur car. 15	Coagulatio formam habet, & finem 39
Animalia fieri à principio intrinseco, quomodo in- telligentum 26	Corruptio naturalis fit per putrefactionem 9
Animal duos motus habet, & qui sint 37	Corruptio naturalis resolutum mixtum in sua prim- cipia 12
Aqua cur posita est à plurimis philosophis princi- pium rerum 31	Corruptio uera fit per dissolutionem elemento- rum 18
Aquæ exsiccari, quomodo sit possibile 40	Corpus hominis dum est infans, cur sit molle, & valde humidum 24
Aqua, quomodo dicatur posse elixari 21	Corruptio alimenti, num sit putrefactio 16
Aqua, num possit ingrossari 42	Corpus omne, uel durum est, uel molle 39
Aqua ingrossatur & insipissatur à frigido 1	Corruptio non fit nisi à contrario 2
Argentum uuum cur non coagulatur 46	Complexionis innate, & influentis discriminem 7
Ars potest multa, que non potest natura 25	
Affatio omnis secundum Alexan. est à caliditate aliena ibidem	
Affatio & elixatio dupliciter, naturalis, & arti- ficialis 26	Deteriorationis, & corruptionis differentia 17
Affatio, & elixatio, an separent elementa 13	Diffinitio dari debet per operationes proprias, & non extraneas 2
Affatio & elixatio sunt secundum naturam 24	Digestio ad formam substantialem, & ad dispositio- nem meliorem 29
Auanis est via in putredinem 17	Digestio omnis, aut est per naturam, aut per ar- tem 23
	Digestio comparativa, quæ sit 33
	Digestionis uera materia, quæ 30
	Digestio equinoce dici potest 30
	Digestionis diffinitio competit animatis, & inani- matis 28
	Digestio consistit in æqualitate humidi, & sic- ci 29
	Digestio siruporum metaphorica est 20
	Digestio naturalis, & artificialis, per quid diffe- rant 27
	Digestio duplex, uera, & metaphorica 33
	Digestio duplex secundum Vagonem. ibidem
	Digestio quid secundum Arist. 19
	Digestio quomodo faciat cessare putredinem 34
	Digestiones distinguuntur secundum modum calo- ris 26
	Digestio strictissime sumpta quid 18
	Dietae humidæ omnibus conuenient febri- bus 21
	Dominium in qualitatibus, quid fit 17
	Ebullitionis

Index

E	<i>Humiditas est digestionis materia</i>	31
<i>Ebullitio in febre putrida, an sit putrefactio</i>	13	
<i>Effectus unus potest per accidens fieri à contrarijs causis</i>	43	
<i>Elementa sicca non possunt rarefieri nec condensari</i>	3	
<i>Elementa immediata possunt adiuvicem transmutari</i>	11	
<i>Elixatio naturalis & artificialis fit à principio intrinseco</i>	27	
<i>Elementa in sua natura non putrefiunt</i>	8	
<i>Elementa an sint humida</i>	13	
<i>Exsiccatio num possit fieri à frigido immediate.</i>	ibidem	
<i>Exhalatio quid sit</i>	47	
<i>Elixatio & assatio sunt digestiones, non putrefactiones</i>	15	
<i>Exsiccatio à frigido, aquiuoca est cum illa que fit à calido</i>	45	
<i>Exsiccatio omnis fit à calido interiori, vel exteriori</i>	40	
F		
<i>Flexibile, & inflexibile, an sint passiones tantum mixtorum</i>	45	
<i>Fontes, cur calefant tempore hiemis</i>	40	
<i>Forma mixta in homine ex frigore mortuo, à quo generatur</i>	7	
<i>Forma substantialis in mixto, à quo sit</i>	6	
<i>Forma substantialis in mixtis introducitur à caliditate</i>	2	
<i>Frigiditas congelat, & firmat mixtum</i>	6	
<i>Frigus in rarefactum corpus melius ingredi potest</i>	46	
<i>Fructus immaturi, cur grauiores immaturis</i>	29	
<i>Frigidū non semper congelat, sed adiuuat coagulationem</i>		
<i>Frigidum, quomodo fiat productuum forma</i>	43	
<i>Frigidum generare, quomodo intelligatur</i>	40	
<i>Fructus maturi, & immaturi differentia</i>	31	
<i>Fructus immaturi, an sint calidores maturis</i>	32	
<i>Frigidi, primo & per se, est infrigidare</i>	45	
<i>Fructus immaturi, cur descendunt in aquam</i>	31	
<i>Fuligo uerè quid</i>	48	
G		
<i>Generatio simplex quae sit</i>	33	
<i>Generatio dupliciter</i>	9	
<i>Glacies congelata num sit uere sicca</i>	36	
H		
<i>Homo quando possit dici matus</i>	25	
<i>Humor coagulatur tripliciter</i>	45	
<i>Humidum est materia digestionis</i>	20	
I		
<i>Ignis in Cipro habet animalis in ipso uiuentia</i>	36	
<i>Ingrossatio uera, quot requirat secundum Arist.</i>	30	
<i>Ingrossationis & congelationis differentia</i>	42	
<i>Ingrossatio quomodo fiat.</i>	ibidem	
<i>Ingrossatio quomodo sit in digestione</i>	34	
<i>Ignis quo generet, & nutrit animalia</i>	38	
<i>Ignis inter omnia elementa est magis agens</i>	3	
<i>Indigestum propriæ quid sit</i>	18	
L		
<i>Lancea sine ferro, mira fortitudinis</i>	38	
<i>Lac, in quo capite uere ponatur. ibidem. & car.</i>	22	
<i>Lateres, num sint tantum terrei</i>	44	
<i>Lac, quomodo sit digestum & indigestum</i>	20	
<i>Lactis, & puris differentia</i>	32	
<i>Liquefactio, & congelatio; quomodo sint à qualitatibus affini</i>	35	
<i>Lignum esse impressibile, quomodo contingat</i>	47	
<i>Ligna Ferrariensi facient, & quare</i>	8	
<i>Liquefactio per se est à calido</i>	41	
<i>Libri nomen non semper accipitur ab eo, quod in libro tractatur</i>	1	
<i>Ligna, an evaporent</i>	49	
<i>Locus potest corrumpere locatum, & quomodo</i>	11	
M		
<i>Manus operatio an notior sit operatione ignis</i>	49	
<i>Maturatio quando causatur in re quæ debet maturari</i>	24	
<i>Maturationis, & digestionis differentia</i>	30	
<i>Membra, qua frigiditate laborant, quomodo curantur</i>	32	
<i>Membra organica sunt notiora non organicis</i>	34	
<i>Mellis crudi, & cocti differentia</i>	41	
<i>Mixtio fit per calidum</i>	6	
<i>Mors non est putredo, sed uia ad putredinem</i>	17	
<i>Mixtum corrupti à principio intrinseco, quomodo sit intelligendum</i>	12	
<i>Mixta aliqua possunt dici aerea vel ignea quantitate virtutis.</i>		
<i>Mixtum quodlibet duplex humidum habet</i>	37	
<i>Mixta à caliditate naturali generantur</i>	28	
<i>Mixtum omne à predominio est terricum</i>	36	
<i>Motus naturalis, per quid differt ab artificiali</i>	26	
<i>Motus localis & alterationis differentia</i>	76	
<i>Mistum, cur non possit coagulari</i>	46	
<i>Mistum, quomodo sit calidius uero</i>	32	
N		
<i>Natura semper est causa sanitatis immediata, & uera</i>		

Index

<i>uere, & per se</i>	27	<i>Putrefactio quid sit,</i>	ibidem
<i>Natura maturat semen</i>	25	<i>Putrefactio est finis omnium, que corrumpuntur</i>	9
<i>Naturale dupliciter</i>	17	<i>Putredo in hieme cur non tanta fiat</i>	18
<i>Nix fertilitatem terræ affert, tempestas autem ste</i>		<i>Putrida omnia humida sunt</i>	6
<i>rilitatem</i>	38	<i>Putrefactio est motus naturalis, & violentus</i>	10
<i>Nutritio omnis à calido, & humido est</i>	25	<i>Putrefactio quomodo contrarietur generationi</i>	7
O		<i>Pus quomodo dicatur digestum</i>	33
<i>oleum, num sit grossius aqua</i>	43	<i>Putrida sunt primo humida, in fine uero sicca</i>	14
<i>Oleum cur albescat.</i>	ibidem	Q	
<i>Oleum, quomodo ingrossatur tam à calido, quam à frigido</i>	42	<i>Qualitates contrarie non compatiuntur & in eodem subiecto</i>	5
<i>Opinio gracorum & Latinorum de putrefactione elementorum</i>	8	<i>Qualitas eadem non habet tantam resistentiam, quam actionem</i>	
<i>Opinio Alexandri de digestione</i>	23	<i>Qualitates non possunt esse aequales</i>	6
<i>Opinio Gaietani de actiuitate, & resistentia in qualitatibus</i>	4	<i>Qualitates actiua in mixto, non uincunt qualitates passivas</i>	ibidem
<i>Opinio Auerrois, & Alberti de ijs, quæ generantur ex patre materia.</i>	35	R	
<i>Opinio Auicenna circa ea quæ generantur ex putretri materia</i>	34	<i>Raritas per se, sequitur calidum</i>	3
<i>Opinio Petri de Aluernia de putredine</i>	9	<i>Resistentia dicit passionem</i>	4
<i>Opinio Iuonae de Garbo, de digestione</i>	30	S	
<i>Opinio Conciliatoris de digestione</i>	29	<i>Sanitas ab arte, & à natura est eadem specie</i>	27
<i>Opinio Alberti de passione qualitatum</i>	5	<i>Sal, num liquefat frigido humido</i>	42
<i>Opinio Alexandri de quarto libro Meteorol.</i>	1	<i>Sanguis extractus citro corruptitur</i>	33
<i>Opinio Themistij de eodem quarto libro Meteorol. ibidem</i>		<i>Sanguis an possit coagulari à frigiditate.</i>	ibidem
<i>Oua dura, an dici debeant affa, uel elixa</i>	21	<i>Sanguis duplex, aquosus, & terrestris</i>	43
<i>Opinio Vgonis de adustione</i>	10	<i>Sanguis, an sit terreus</i>	49
<i>Opinio diuersorum de qualitate argenti uiui</i>	46	<i>Sequestratio grossi à subtili non est digestio, sed via ad eam</i>	31
<i>Offa nutritur sanguine melancholico.</i>	25	<i>Semen hominis ad acrem positum, fit rarum, & fluidum</i>	2
P		<i>Semen hominis in terra proiectum, cur liquefiat</i>	
<i>Passiuæ qualitates, quomodo ab actiuis patiuntur</i>	2	<i>Semen, non potest coagulari frigore</i>	44
<i>Pepansis à quo calore efficiatur</i>	24	<i>Semen humanum ad aerem, quare fluidum fiat</i>	3
<i>Pepansis fit à calore intrinseco</i>	26	<i>Semen Elephantis indurescere, error</i>	49
<i>Pes Pirrho incensus</i>	38	<i>Seum, cur coaguletur</i>	46
<i>Pediculi, ex qua materia generantur</i>	35	<i>Siccitas, quomodo dicitur esse causa liquefactionis</i>	41
<i>Pituita in hieme, quare non ingrossatur</i>	3	<i>Simplex, ut uere simplex est, non potest putrefieri.</i>	16
<i>Phlegma potest mutari in sanguinem, melancholia non</i>	20	<i>Siccum quandoque per accidens humectat</i>	36
<i>Piscis motus in aqua, qui sit</i>	37	<i>Siccum est causa proxima coagulationis</i>	45
<i>Phlegma uitrum, quomodo putrescere dicatur</i>	14	<i>Siccitas dicitur esse linea caloris</i>	13
<i>Planta quomodo dicantur esurire, sitire, & pauci</i>	24	<i>Siccitas est maxima passiva</i>	3
<i>Pori secundum longum an sint causa visibilitatis</i>	47	<i>Stomachus non est calidus ex se, sed ex circumstilen</i>	
<i>Præpositio. in plures recipit expositiones</i>	12	<i>tibus membris</i>	23
<i>Principium intrinsecum quid sit apud Arist.</i>	28	<i>Stella piscis, quanta sit uirtus</i>	37
<i>Pulmo est membrum ualde chlericum</i>	28	T	
<i>Putrefactio, & uia ad putredinem differunt</i>	8	<i>Tactus conficit in medicitate</i>	39
<i>Putredo, & digestio non contrariantur ex toto</i>	32	Terrea	
<i>Putrefactio quomodo fiat à calido, & quomodo à frigore</i>	16		

<i>Terrea omnia num sint calida, & aqua frigida</i>	49	<i>Vermes sub nube generantur in hieme</i>	37
<i>Terra & aqua habent rationem passini, ob earum corpulentiam</i>	40	<i>Vermes generari in stomacho, quomodo sit possibile</i>	23
<i>Temperamentum corporum, non consistit in puncto</i>	19	<i>Vermes non possunt generari in aqua feruenti</i>	23
<i>Vapor, an fiat a calido iustino</i>	48	<i>Venti, quomodo moveantur</i>	48
		<i>Vinum dulce per quid congelatur</i>	48
		<i>Vinum magnum & potens, actu brumosat</i>	36
		<i>Vestibile uero quid sit</i>	48
		<i>Vna matura subtilior est immatura, & quare</i>	31

F I N I S.

CLARISSIMI PHILOSOPHI Petri Pomponatii

Dubitaciones in quartum librum Meteororum Aristotelis.

DUBITATIO I.



IRCA initium quarti libri meteorologicorum occurrit dubitatio, an hic quartus liber sit meteorologicus. Nam illi libri dicuntur meteorologici ex nominis ethymologia, qui de rebus sunt, quae fiunt in alto: hoc autem non fit nisi in primis tribus libris: nam in tertio etiam de illis loquitur Aristoteles, quae eleuantur sub terra: in primis uero duobus, de eis quae eleuantur super terram: in quarto autem de nulla illarum rerum. ergo non est meteorologicus. Secundo si liber quartus diceretur esse meteorologicus, necessario sequeretur quod quarti ad alios libros esset aliqua connexio, & combinatio. sed nullus est ordo doctrinæ inter quartum & alios tres: nam in quarto loquitur de passionibus mixtorum corporum, ut conueniant eis ratione primarum qualitatum; in alijs autem, de ijs quae fiunt in alto. Huic dubitationi respondet Alex. in principio huius libri in primis uerbis, quod hic liber bene est Aristotelis, non tamen est meteorologicus: quoniam non est de rebus, quae fiunt in sublimi, nec supra, nec infra terram. Huius sententia uidetur esse & Themistius in principio libri phys. non enim connumerat hunc librum inter libros meteorologicos, sed tantum primos tres libros. Alexander etiam uult hunc librum debere poni mox post libros de generatione: quia ibi loquatur de mixtis in uniuersali; hic uero de mixtis in particulari, & in ordine ad constituenda mixta; alibi uero in ordine ad quatuor qualitates primas. Tamen haec sententia Alexandri mihi non placet. Nam si hic liber debet sequi librum de generatione: aut erit pars illius libri; aut liber separatus. sed neutrum horum potest esse. Nam si erit liber separatus; non bene se habebunt uerba Aristotelis, quae dixit in principio primi meteor. ubi ordinat hos libros, & mox, post secundum de generatione, ponit librū de meteorologicis. Dices fortasse, quod nō totus sequitur librum de generatione. sed hic solum quartus est tertia pars libri de generatione. Verum hoc apud me est impossibile: nam in fine huius libri continuando se ad sequentia dicit; quod post hunc librum tentabit considerationem de animalibus. nō ergo erit hic liber uel separatus: uel pars eius, qui de generatione est. Themistius autem, quanquam tenuit cum Alex. quod hic liber non sit meteor. uoluit tamen eum esse separatum: & tractare de rebus metallicis & inanimatis. neque secundum cum debet sequi librum de generatione; sed debet interponi inter alios tres meteorologicos, & librum de animalibus: Verum & in hoc, licet Themistius mihi magis placeat, tamen non satisfacit: nam secundum Themistium hic liber est separatus à libro de generatione, & libro meteorologicorum. tamen Aristoteles in principio primi meteor. immediate post librum meteoror. ordinat librorum de causis: de historijs animalium &c. vnde & in fine huius quarti facit continuationem horum librorū ad sequentes libros, qui sunt libri de animalibus, ut licet nobis uidere in fine, cum dicit, *& Et postquam rememorauimus.*

A Ideo

Petri Pomponatii dubitationes

Ideo ego magis approbo sententiam latinorum, Alberti. & D. Thomae. Auerroes in hac re sequi uidetur illorum opinionem, qui uolunt totum hunc librum esse unum, & sic ordinat. Quoniam Aristot. in libro de generatione, transmutationem nos docuit simplicium in uniuersali: nunc uero agit de transmutatione mixtorum: & illa sunt duplia; aut perfecta, aut imperfecta. Natura autem priora sunt imperfecta: ideo in primis tribus libris tradit de imperfectis. in hoc autem quarto de perfectis: & hoc modo unus est liber. Hanc autem sententiam mihi uidetur sequi Auer. in paraphrasi magna. Sed quid dicendū est ad argumenta Græcorum? Ad primum cum obijcis quod Aristoteles hic non egit de ijs, quæ in sublimi fiunt. ergo nō est meteorologicus. Dicerem q̄ non semper liber accipit nomen ab eo, quod in libro tractatur: sed sufficit quod pro maiori parte de ijs tractetur à quibus nomen habet. Vnde, cū maiori ex parte hic tractetur de ijs, quæ in sublimi fiunt, ut in tribus primis libris: non sequitur argumentum. Propterea credo ego hanc inscriptio nem non esse ueram, & sumptam præcisè à materia hic pertractata: sed debere potius uocari librum de mixtione. Ad secundum dico, quod si nuncupetur liber a materia hic per tractata, id est, de mixtione tunc optimè omnes continuabuntur. & hoc pacto diluentur omnia quæ obijci ad hæc possunt.

D U B I T A T I O II.

Dubitatio secunda, circa textus expositionem est. quoniam dicit Aristot. quod humiditas & siccitas passiones, quas ipse introducit, patiuntur. caliditas autem, & frigiditas illas agunt. An hoc non solum in simplicibus, sed etiam in mixtis? dicit enim passiuas illas secundum se: unde quod illæ qualitates ea patiuntur, quæ dicta sunt, in mixtis, hoc certe dubium non est: sed quod eas patiuntur secundum se, siue solitarie; hoc nō uidetur esse uerum. Nam aqua ingrossatur, & inspissatur à frigido, nunquam autem à calido ergo solum habebit uirtutem in mixto. Hoc in loco multas expositiones & Gaiet. & Alexandri, qui per eadem uerba textus textum exponunt. Albertus Magnus est longissimus hoc in loco, & uidit hanc dubitationem, ad quam respondet, quod debet intelligi, quod non patiuntur hoc illæ qualitates per se, quia argumentum demonstrat de aqua & igne, ideo non potest intelligi dictum Aristotelis, ut nuda uerba sonant: sed debet intelligi quod illæ qualitates dupliciter patiuntur; ut in mixto sunt, & ut simplices sunt. Compositum autem primo patitur (nam quod primo patitur, & humectatur, ipsum est cōpositum) postea patitur ipsum simplex, ea ratione qua in composito est, non quatenus simplex est. unde humidum & siccum patiuntur illas passiones ut in composito sunt. si autē in mixto non essent, nunquam illas paterentur. Sed non addit Albertus rationem suorum dictorum, quare composita per se patiuntur, simplicia autem non ratione sui. Ego igitur dicerem ad hoc, quod passiuæ qualitates, non omnes qualitates patiuntur, quando sunt in mixto; sed aliquas etiam quando sunt in simplici: aqua enim simplex aliquas quidem patitur, sed non omnes: si enim perpetuo tempore maneret propè ignem, nunquam inspissaretur. Et hoc quo ad argumentum, quod quidem mea sententia demonstrat.

D U B I T A T I O III.

Dubitatio tertia communis est, & ab omnibus moueri solet: Vnde est, quod, cum omnes quatuor illæ qualitates primæ reagant & repatiuntur; Aristoteles tamen duas tantum actiuas dicat, & duas tantum passiuas? Præterea in secundo de generatione dictū est, quod elementa transmutantur ad se inuicem: hoc autem fit mediabitibus his qualitatibus agendo, & repatiendo: ergo quælibet illarum agit, & patitur. Ad hoc respondent Gaietanus Marfilius & moderni ferè omnes una responsione, uerum esse quod omnes qualitates sunt actiuæ, & omnes passiuæ; calidum tamen & frigidum esse magis actiuæ; humiditatē autem & siccitatē magis passiuæ, & patet hoc ab experientia: calidum enim & frigidū maximè sentimus: minus uero, humidum & siccum. Hæc responsio uidetur ortum habe-

re ex

in quartum Meteor. Arist.

2

re ex tex. 30. huius quarti, tamen iudicio meo non est uerum quod passiuæ magis patiantur, & minus agant. Et pro hoc adducam duas rationes. Ponunt hi authores aliquas qualitates magis agere, alias magis pati. Inter actiuas qualitates ponunt calidum maxime agere, frigidum autem minus, deinde humidum, postea siccum: sic in patiendo, & resistendo, contrarium ordinem ponunt: quod scilicet siccum maxime patitur, minus autem humidum, deinde frigidum, ultimo calidum: ita quod, quæ magis agunt, minus resistunt: & econtra. Arguo igitur: primo si hoc esset uerum, tunc calidum & frigidum essent etiam maxime passiuæ; quia minimè resistere possunt: resistere autem est reagere, secundum ipsos: ergo minimè reagunt: ergo maximè patiuntur. Sed humidum & siccum maximè resistunt: ergo maximè reagunt: ergo contra illos ergo non uidetur quæ dicenda magis actiuæ aut passiuæ. & hæc clarissimum in meo tractatu de reactione. Secundo arguo per contextum uerborum Aristotelis, quæ non dicunt actiuas qualitates, propterea actiuas esse, quoniam agunt magis uel minus, quam humidum & siccum: sed quoniam calidum & frigidum agunt in humidum & siccum: non quia absolute magis agat. & sic uidentur sonare uerba Aristot. si ad formam uerborum attenderimus. Ideo reiectis illis modernorum opinionibus, do aliam responsonem, quæ est Auerrois in commento, qui dicit Aristotelem loqui de qualitatibus primis in ordine ad mixtum, & non absolute: & sic duæ concurrunt actiuæ, duæ uero passiuæ, id est, ad constitendum mixtum. & in hoc bene dixerunt Io. Grammaticus in secundo de generatione, & Aver. in huc loco: & hæc responsio satis facit. Sed est adhuc dubium. Nam, in primo de generatione, calidum stat in igne cum maxima siccitate, & nō agit in illud: cum calidum non contrarietur siccio, nec humido, sed frigido: nam solum contrarium a suo contrario pati potest. quomodo ergo calidum erit actiuum, & siccum passiuum? Hoc dubium etiam mouet Alber. non hoc in loco, sed in capite primo de digestione: & respondet ipse huic argumento, quod ad actionem non requiritur contrarietas, sed sufficit dissimilitudo. Tamen, ut mea sententia fert, solutio Alberti non ualeat. ita enim caliditas & siccitas non possent stare simul in eodem, quin se corrumperent in igne: at forte maior est caliditas in igne, & etiam maior siccitas, quam in aliquo mixto: & tamen in igne stat maxima siccitas cum maxima caliditate. Ego domini sic responderem ad hoc dubium, quod calidum non agit in humidum, nec in siccum per se, sed per accidens. neq; hæc sunt contraria per se; sed in quantum sunt in mixto: agentibus enim primis qualitatibus in mixtum; ubi ipsum mixtum corrumpitur, corrumpuntur etiam passiuæ qualitates humiditas & siccitas, quæ in ipso erant. sed hoc per accidens est, cum hæc contraria non sint actiuas qualitatibus, immo possint cum ijs stare etiam in summis gradibus: ut patet de igne, in quo summa siccitas stat cum summa caliditate. quamuis ergo passiuæ qualitates ab actiuis patiuntur, id tamen per accidens est, cum non in ipsis actiuarum fiat, sed in mixtum, in quo ipsæ reperiuntur.

D U B I T A T I O IIII.

40 **S**ed adhuc dubitatio est. Dicis quod calidum commiscendo humidum cum siccio in mixto, corrumpit illa per accidens, corrumpendo substantiam. Hoc uidetur esse falsum, quoniam terminatio non fit ratione calidi nec frigidi in mixto, sed ab humido, & sic: nam ex farina & aqua fit fermentum, siue frigida fit aqua, siue calida. Ad hoc dico, quod humidum & siccum terminantur, & non per calidum uel frigidum: conueniens autem terminatio fit per calidum & frigidum. Vnde uerum est quod calidum & frigidum nō terminantur; sed requiruntur ad bonam terminationem, ita, quod bona & perfecta terminatio sine illis fieri non potest; sed hæc necessario requiruntur. Vnde uerū est quod terminatio fit à passiuis; tamen non est completa, & perfecta, ita ut sit illud mixtum per eam dispositum ad recipiendā formam substancialē, quam desiderat, uel ad quam nunc est potētia proxima. nā forma substancialis introducitur à caliditate, & sine illa nō potest fieri introductio formæ substancialis, nec operationum consequentium illam formam. requiriunt enim caliditas ut recipiatur forma mixti, & debite constet mixtum ut formam eius re-

A 2 cipiat.

Petri Pomponatii dubitationes

Arist. intelligit res humidas ratione qua humidæ sunt, posse augeri & diminui; siccas uero nec maiores, nec minores fieri posse: unde aqua uel aer possunt augeri uel minui; quoniam ex aere fit ignis per rarefactionem; & ex aqua fit aer; & tunc crescunt dimensiones: sed quando aer fit aqua, aut aqua terra; tunc minuantur dimensiones. elementa autem sicca non possunt rarefieri & condensari: nam terra non potest fieri densior, quam est; & ignis rarius quam est: & ideo in nullo illorum fit motus localis progressiuus, quia talis motus non fit nisi per rarefactionem & condensationem, sed non sunt illa in ipsis duobus elementis. Certe quod dicitur ab Auerr. est uerum: sed quod hoc sit causa quod aliquod corpus sit bene uel male terminabile termino proprio uel alieno; nescio an sit de mente Aristotelis. Io. Gramm. aliter respondet ad hanc difficultatem, quod de ratio ne siccii est terminari termino proprio: unde ignis, licet non habeat propriam terminacionem, ita perfecte ut lapis; tamen adhuc habet aliquam firmitatem: nam non constat, ut faciunt multa corpora, quae habent materiam magis compactam, ut lapis, multum. n. habent de corpore: tamen ignis nec omnino dispergitur, ut aqua: nam ad minus si ignis per seipsum constare non potest, ratione materiae diuersæ à lapide (parum. n. ualde est de materia in igne) tendit tamen in formam pyramidalis figuræ; sic etiam puluis, licet ratione subtilitatis non stet ut lapis, tamen adhuc pugnus pulueris tendit in formam pyramidis, non enim constat ut lapis; nec tamen etiam spargitur, ut aqua: hoc autem est ratione materiae. Domini ego nolle damnare responsionem Auerr. tamen ista Io. Gram. opinio mihi magis placet.

20

D V B I T A T I O VIII.

Alia dubitatio, quia dixi unamquamque ex illis quatuor qualitatibus esse actiuam & passiuam. Dubitatio est, quae nam ex illis quatuor sit magis actiuæ & quae magis passiuæ, an etiam omnes æqualiter sint actiuæ & passiuæ? Multa dicuntur in commento decimo, quae meo iudicio non sunt ad propositū. Nam in elementis non sunt æqualiter actiuæ: sed caliditas est magis actiuæ: postea frigiditas. 3. humiditas. 4. siccitas, quae oīum est minimè actiuæ, dicat moderni quid uelint. Auer. & Albertus faciūt quæstiones speciales, & quæ dicuntur ab Alberto meo iudicio sunt bene dicta: adducit enim nouem rationes, quas uidere potestis. Ignis namque omnium elementorum est maximè actiuus, est autem minimè resistiuus; quia si tam fortiter resisteret, quam virtualiter agit; tunc Sphera Lunæ omnia corrumperet; ignis enim omnia assumeret, & ordo naturæ non esset bonus, nec durabilis. Vnde sicut principes magni habent magna Imperia, sed cum ijs coniunctas maximæ curas: rustici autem parum possident, hilari tamen animo, (Natura. n. quod deficit in uno, supplet in alio) sic etiam maximè actiuum elementum minimè resistit, & maximè resistuum minimè agit; & sic omnes sunt actiuæ & omnes passiuæ, non tamen æqualiter. loquendo autem de corruptione siue actione & passione, quæ fit in corruptione siue quæ est corruptio, & est in materia transeunte; tunc solum duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ. In corruptione autem, quæ est in materia immanente, omnes sunt actiuæ & omnes passiuæ eo modo quo dixi. Nam in corruptione, quæ est in materia transeunte non sentio cum modernis: caliditas enim est maximè actiuæ; siccitas maximè passiuæ, ut supra dictum est. Vnde prima inter actiuas est caliditas, secunda frigiditas, tertia humiditas, quarta siccitas, & sic etiam tenent medici omnes, Galenus. Hipp. & Auic. & cæteri alij: & sic etiam indicat sensus tactus. Omnium enim maximè sentimus calidum: organum siquidē tactus citissimè sentit, & iæditur ab ea: secundo à frigiditate, tertio ab humiditate, minimè aut omnium à siccitate. Ultra hoc etiam dicit ratio, quod natura deficit in uno, supplet in alio, & è contra, ut Arist. dicit in libro de partibus animalium: hoc autem propter bonum uniuersi: nam si ignis ultra maximam suam actuitatem habuisset etiam maximam resistiam; tunc omnia agendo uinceret, & combureret.

50

D V B I T A-

in quartum Meteor. Arist.

4

D V B I T A T I O IX.

Aliud dubium est, quod licet non sit multum ad propositum, communiter tamen hoc in loco retractatur. Cum enim quælibet qualitas comparata fuerit cuilibet secundum actionem & resistentiam, & unaquaque earum agat, & unaquæque resistat, ut dictum fuit paulo ante, queritur nunc an eadem qualitas, ut caliditas, tantum agat quantum resistit: & tantum resistat quantum agit: non quidem comparando unam qualitatem ad alias, sed eiusdem qualitatis actionem conferendo eiusdem resistentiae, ueluti actionem ignis resistit, & una demum & eadem qualitate ad semetipsam agentem & resistentem compara. Hic sunt tres opiniones. prima est Calculatoris in suo tractatu de reactione, & Hentiferi in sophismate. An aliiquid calefaciat: & Marliani in suo introductorio de reactione, quod qualitas eadem ad seipsum comparata æque agat & patiatur: & fortior ipsorum ratio est, quia per eandem rem agunt & patiuntur: patet, quoniam sunt qualitates simplices ergo per idem fit in eis actio & passio. & huius opinionis author fuit Calculator. quæ tamen saluo meliori iudicio mihi uidetur falsa: est enim contra experientiam: & nescio profecto quomodo hic, et qui eum sequuntur, possint saluare experientiam. Nam quis diceret tam fortiter puluerem siccissimum agere in tactum sua siccitate, quantum agit sua caliditate? & tamen in rebus siccis est maxima resistentia. si ergo aliqua res sensibiliter resistit, & sensibiliter non agit; quis uellet eam dicere æqualis esse actionis, & resistentiae? Est etiam hæc opinio contra cœm ferè aliorum sententiam. Quare ad argumentum Calculatoris quum air, per idem agit & per idem resistit: ergo æqualiter agit & resistit; siue tantum agit, quantum resistit; negatur consequentia. Et ratio est, quoniam non est æqualis ratio actionis & resistentiae. Nūc enim milites qui sunt sub Domino Prospero Mediolani, sunt sufficietes ad resistendum, sed non ad agendum, licet per eosdem milites esset illi agendum & resistendum. Vnde idem est agens & resistens; sed aliud est agere, aliud resistere, in sua ratione formalis, & aliud & aliud connotant, agere nempe dicit actum; resistere uero passionem. Et ideo opinio Calculatoris mihi non placet. Alia opinio est communis quam recitat Marsilius in secundo de generatione. Distinguit autem hæc opinio, quod actiuæ plus habent de actiuitate & minus de resistentia; passiuæ autem plus de resistentia & minus de actiuitate, licet ambæ de utroq; participant, secundū tamen magis & minus. Gaiet. hanc opinionem non probauit, quoniam sequeretur, quod contraria naturalia in quocunque gradu iuxta se posita agerent & repaterentur: ergo siccitas ageret in humiditatē, etiam si humiditas approximaretur in gradu intensiore, quod est impossibile. Namq; siccitas est minoris actiuitatis & humiditas maioris actiuitatis: siccitas est maioris resistentie & humiditas minoris resistentiae. Ponamus autem v.g. quod humidum sit ut tria, siccum autem ut duo; tunc, si in siccitate est maior resistentia, & minor actio; in humiditate minor resistentia & maior actio: ergo, non proueniet actio; cum à proportione minoris inæqualitatis non fiat actio; & quicquid est minus minore, sit etiam minus maiori. atque ideo quoniam siccitas non agit in humiditatē, quia actiuitas humiditatis superat actiuitatē siccitatis, & resistentia siccitatis superat propriam actiuitatē; non fiet actio. Et hoc est argumentum Gaiet. subtile & ingeniosum. Tertia opinio est etiam Gaiet. quod quælibet qualitas plus habet de actiuitate, minus autem de resistentia. rationem probantem habetis per argumentum modo deductum. Verum meo iudicio melior est opinio communis, quam opinio Gaiet. ideo probo ego hoc esse contra sensum & experientiam, quod Gaietanus dicit. Videmus enim siccitatem paucam, aut nullam habere actitudinem, & ferè nullius esse actitudinis, & tamen esse maximæ resistentiae. ita & equi Hispani, quos uulgo Ianettos uocamus, sunt maximæ uelocitatis, & actionis; minimæ autem resistentiae. equi uero Neapolitani & ex Phrygia, magni sunt, nec tantum ueloci sunt; sed magis resistunt, & magis apti sunt ad sufferendum impetum. Quare ad argumentum Gaietani responderi potest per ea, quæ diximus in nostro tractatu de reactione, ubi forte etiam uerum diximus: quod qui dicit, quod minus non potest agere in maius, dicit contra sensum & experientiam. si enim magnus, & ualde fortis homo, qui congregatur cum aliquo paruo homine, qui etiam uincatur, & interficiatur

Petri Pomponatii dubitationes

interficiatur à magno, nonne tamen parvus etiam magnum offendet, uel inferet illi uulnus, uel saltem alapam? minus ergo agit in maius; non quidem secundum totum, sed secundum aliquid maioris. Sed dices hoc esse sophisticum, nam aliquando etiam siccitas agit in humiditatem, cum siccitas est in magna & multa materia, & humiditas in pauca. Dico, quod tūc cetera non sunt paria. unde caliditas est maioris actiuitas quam frigiditas ceteris paribus. posset tamen euenire contrarium ex diuersitate aut multitudine materiae, ut si frigiditas esset in majori aut compactiori materia: aut huiusmodi aliud, et hæc de hoc textu.

D V B I T A T I O X.

10

Alia dubitatio est, quia in tex. 2. dicitur quod generatio fit, quando non est contrarietas inter actiuas & passiuas qualitates: cum uero est contrarietas, per contrariū tunc fit correctio. Sed contra. Nam actiua & passiua non contrariantur, cum stent simul; ut in igne est calidum & siccum; in aqua frigidum & humidum, & sic de alijs elementis. Adde quod actiua & passiua qualitates non sunt eiusdem generis proximi: si autem actiua & passiua esent contraria; tunc esent eiusdem generis. Dico ad argumentum, quod concludit ueritatem, quando non est contrarietas uera inter illas qualitates: quoniam nulla corrumpit aliā, nec generat aliam: & hoc bene uidit Cōmentator quo ad illam operationem, quam proposuit sibi: necessarium enim est obtinere qualitates actiuas super passiuas: materiae enim intentio est facere bonam mixtionem, ut possit elici forma mixti: ad hoc autem requiritur, quod humidum & siccum bene cōmisceantur, & se penetrēt: quod fieri non potest, nisi in eis dominetur caliditas & frigiditas; quæ duæ qualitates conātur miscere humidum cum siccō secundum debitam proportionem: & cum hoc sit, dicuntur qualitates actiua obtinere supra passiuas, & fit generatio: cum non sit, sequitur corruptio: & est contrarietas inter mouens & motum. unde caliditas principaliter non humet, uel exsiccat, ita & frigiditas: sed calidum mouet à centro ad circumferentiam extrahendo & localiter mouendo; frigidum uero constringendo. humidum enim à centro mouetur, & extrahendo penetrat ipsum siccum; & siccum commiscetur, & humectatur. quando uero in unum intenditur; totum humidum extrahitur, & remanet siccum; quod caliditas faciendo exhalare humidum, introducit. ideo istæ operationes conueniunt calido per accidēs; sed in hoc loco tamē sunt ei essentiales, cū de calido sic fiat consideratio ut inducit forma mixti, & generationem facit. Quare & illud dico, calidum, si consideratur in quantum calidum tunc eius propria & essentialis operatio est calefacere. si uero consideratur, ut generat, & formā inducit; sic ei proprium est obtinere super humidum & siccum, & bene illa miscere. atque ideo in quantum calefacit, sic de eo tractatur in libro de generatione, in quantum tale elementum: itiquantum autē generat, sic consideratur in hoc loco. nec illa uictoria, quam habere debent actiua super passiuas, intelligi debet, ut quilibet gradus excessus sit conueniens. neque intelligitur hoc, geometricè, ut ex omni dominio actiuarum super passiuis ueniat generatio, cum non omnis excessus faciat ad generationem: posset enim esse tale dominium quod totaliter mixtum destrueret, & non generaret; ideo oportet quod sit dominium iustitiale in tali gradu, qui conueniat pro forma mixti elicenda.

30

D V B I T A T I O XI.

Alia dubitatio est causa textus. Velle ego scire diceret quispiā ab Aristotele, quid sit illud obtinere, uel dominari inter illas qualitates? Forsan dicetis, ut uidetur Alex. & Comment. dicere in libello de longitudine & breuitate uitæ, quod obtinere est, ut plus sit de calido & frigido quam de humido & siccō; idest quod sint fortiores & intensiores qualitates actiua quam passiua. (Et bene respiciatis ad uerbum Alex. qui dicit, fortiores) & profecto, secundum quod uidentur sonare uerba, ille uidetur esse intellectus:

meo ta-

in quartum Meteor. Arist. 5

meo tamen iudicio ea sententia est falsissima & impossibilis. quod probo duabus rationibus, & primo probabo quod non sit plus de calido uel frigido. secundo quod illa non sint intensiora quam sint qualitates passiuae in mixto. Primo, hæc positio destrueret totam me dicinam: habemus enim ab Auicena, Galeno, Dioscoride, & alijs, quod multa sunt simplicia intensiora in actiuis, & remissiora in passiuis, & ècontra. multa enim sunt in primo gradu calida & in tertio uel quarto humida uel sicca. imò multa sunt temperata in actiuis, quæ sunt intemperata in passiuis. Secunda ratione, quæ apud me demonstrat, ostendo, quod ille intellectus est falsus, & impossibilis, si intelligatur intensius. Nā, primò possum sit omnem latitudinem terminari per octo & omnes latitudines esse æquales. secun-
do supponatur, quod qualitates contrariae non possint se compati in eodem subiecto ultra gradum mediū latitudinis; nam frigiditas ut quatuor, non potest stare cū caliditate ut qua tuor. quoniam quantum de uno contrario inducit, tantum de alio expellit: unde si esent aliqui gradus frigiditatis ultra medium, v. g. quinque, tunc necessario esent gradus caliditatis ut tria. nā si de calido deperderetur unus gradus, & fieret ut tria, ut præcisè latitudo impleatur quam semper necessarium est impleri; completer autē octo gradibus. per primum suppositū, caliditas ut quinque & frigiditas ut quinque compati se non possunt, nam fierent decem gradus, qui numerus excedit latitudinem. fit ergo argumentum hoc modo. Si qualitates actiua obtinent super passiuas, ita quod sint intensiores in gradu, hoc fieret, aut quod ambæ actiua uincerent ambas passiuas, idest caliditas uinceret humiditatē & siccitatem, & etiā frigiditas uinceret humiditatem & siccitatem; aut una sola ambas uincet, alia autem aliquam illarum superabit aliquam autē non; aut diuisiue, ita quod caliditas uincat humiditatem frigiditas siccitatem; uel caliditas siccitatem, frigiditas humiditatem: sed nec collectiū, ut ponit primus modus; nec diuisiū ut secundus hoc est possibile: ergo nullum fieri potest. Prima pars probatur; quia, si caliditas & frigiditas ambae uincunt super ambas collectiū, tunc aut caliditas & frigiditas essent æquales in gradibus, ut caliditas ut quinque & frigiditas ut quinque; & siccitas & humiditas, ut quatuor. hoc autem est impossibile, nam frigiditas & caliditas excederent latitudinem, quod est contra primum suppositum: nam bis quinque sunt decem, cum tamen tota latitudo caliditatis & frigiditatis sit solum, ut octo. uel caliditas erit ut quinq; & frigiditas ut tria, ita quod præcisè implebitur latitudo actiuarum, tunc uero obtineant actiua per gradus quinq; super passiuas: ergo erit, uerbi gratia, humiditas ut quatuor: nam solum a proportione maioris inæqualitatis fit actio. ergo humidum ut quatuor. cum ergo humidum sit ut quatuor; necessario etiam siccum erit ut quatuor; ut impleatur tota latitudo. existente ergo calido ut quinque; tunc frigidū non poterit dominari super passiuis; sed uincetur à passiuis, quoniam siccum est ut quatuor, & frigidum ut tria. Si autem ponis frigidum intensius quam ut tria, stante calido ut quinque; tūc excedet latitudinem. Secundo nec etiā potest stare diuisiue. quoniam si calidum est ut quinque; necessario est frigidum ut tria: pono ergo quod humidum quod habet pati à calido, sit ut tria; tunc necessario siccum erit ut quinque, ut impleatur latitudo passiuarum. ergo siccum ut quinque dominabitur super frigido, quod erit ut tria. ergo actiua non dominabuntur super passiuis. Summatur ergo aut diuisiū, aut collectiū, semper aut excedēt latitudinem, aut auferetur actio; quoniam à proportione minoris inæqualitatis actio fieri non potest. Relinquitur ergo ille intellectus falsus præsuppositis illis fundamentis, quæ diximus, in quibus conueniunt etiam alijs, licet sit discordia apud doctores de mixtione calidi & frigidi: quia quidam, ut Gregorius de Arimino, & etiam Burleus, uolunt, quod quilibet gradus caliditatis repugnet cuilibet gradui frigiditatis, siue hoc sit eminenter & virtualiter, siue formaliter, ut tenet opinio communis, unum est, quod repugnat, sicut etiam tener Comment. 12. Met. & alijs locis, & sicut tenent etiam omnes medici quod omnes latitudines qualitatum sunt æquales. Sic ergo probatum est, quod qualitates actiua in mixto qualitates passiua uincere non possunt intensione graduum, nec collectiū, nec diuisiū. Et quod non diuisiū, potest etiam confirmari ex Arist. uerbis hoc in loco: Nam dicit in numero plurali, qualitates dominantur; non autem qualitas dominatur. Ex quibus ego colligo superiorem expositionem non esse ad

esse ad menrem Aristotelis. Sed dicetis uos, quod igitur erit illud dominum? Alex. & Alber. dicunt quædam, quæ satis clara sunt: quod omne mixtum perfectum debet in se contineat quatuor elementa, & habere etiam quatuor qualitates, de quibus dixi (loquor autem de mixtis perfectis ad differentiam illorum de quibus dictum est in præcedentibus libris, & huiusmodi) nam omnia perfecta debent habere stabilitatem quædam, quæ datur à terra: partes autem eius continuari non possunt, si non esset aqua: nam aer licet sit humidior; tamen aqua est magis incorporabilis ratione densitatis materiae. sed non sufficit solum siccum & humidum: quia licet ex illis fiat compactio in mixto; non tamen perfectè illa se penetrarent & commiscerentur, nisi adesset calidum & frigidum, calidum enim facit ebullire, separat, & rarefacit, & educit humidum, quod latebat sepultum in centro, per omnes partes ipsius siccii; faciendo ebullire, & rarefaciendo ipsum; ut patet in aqua ebulliente. non dico autem quod corrumpat humiditatem uel siccitatē, sed quod mouet, separat, & permiscet. ubi uero calidum extraxit, & ex centro elicit humidum; ne illud humidum deperdatur, exhalet, & disagregetur, ita ut non possit fieri generatio; ad uenit frigidum, quod compingit, stringit, & retinet ipsum, & unit tale calidum humidum cum siccō, ne disagregetur, & separetur ab eo; sicut fieri solet cum aliquid teritur: cum in teruntur aliqua, ut quæ in molendinis pistantur; solet partes, quæ illa attritione sæpe existunt, adiumento manuum reponi. unde licet per calidum fiat aliquando collectio rerum & unio; hoc tamen non est per se, nec essentiale calor: calor enim essentiales operaciones sunt calefacere, & rarefacere, & disagregare rem. si autem aliquando in massa argento, auro, plumboque commixta post calefactionem, & liquefactionem, partes aurī simul congeruntur, & confluunt in unum, & partes argenti, eodem modo, ut in superioribus dictum est; hoc fit per accidens, ratione similitudinis: unde ubique similitudo est causa amicitiae & unionis: quoniam enim aurum simile est auro, argentum argento; ideo in liquefactione à calore uniuntur per accidens: proprium autem calidi est disaggregare; frigidū vero unire. quod si contrarium euenerit; hoc fit per accident, non per se. His autem notatis quæ dicta sunt, clarum erit quid sit illud actuarum super qualitates passiuas dominium; Nam nil aliud est quam calidum & frigidum & frigidum ita disponere humiditatem & siccitatem, ut inde fiat inductio formæ mixti, illius speciei mixti, quod generandum est in hac generatione; sicut etiam audietis in tractatu de putrefactione, quæ contrariatur ipsi generationi. Vnde alia commixtio requiritur in generatione sanguinis, alia in generatione ossis: nam in generatione sanguinis plus requiritur de humido; minus uero in commixtione humidi cum siccō, ex qua fit os. in carne autem plus humidi est quam in osse, & minus quam in sanguine. & ideo fieri potest quod aliquod sit mixtum perfectum, & in illo sit multum de humido & parum de calido: tamen tantum est in eo de calido quod humidum ab illo commode disponitur, & commiscetur cum siccō, ut sit receptuum formæ quam natura desiderat. nam aliud dominium calidi super humido requiritur in commixtione siccii cum humido, in quod debet induci forma carnis; & aliud humidi dominium, cum inducenda est forma ossis. alia etiam uictoria præparatur ad humidum leonis à calido, alia ad humidum hominis; alia leporis; alia canis; & secundum formarum diversitatem. unde aliquando in mixto plus est de calido quam de humido: in aliquibus uero & non paucis plus est de humido quam de calido, secundum merita formæ, quæ postea mediantibus illis qualitatibus ut instrumentis, debent operari operationes illi formæ proprias & conuenientes. Ideo obtinere illud, de quo loqui sumus, non est intensius esse, ut quidam medici dicunt, qui uix primæ philosophiæ naturalis elementa degustauerunt. Sed uellem nunc scire, an illud calidum & frigidum, humidum & siccum debent esse æqualia ad faciendum debitam mixtionem, uel non debeant esse æqualia: & si inæqualia; quod nam inter illa vincere debeat, & hæc dubitatio extrahi potest ex medulla uerborum Aristotelis.

Alia est dubitatio, quam mouet etiam Gentilis in prima primi, & concludit omne mixtum declinare ab æquali ad pondus per calidum & humidum: & probat hoc multis argumentis. Nam aut uiuit, aut non uiuit mixtum: si uiuit, in eo dominatur humidum super siccum: si non uiuit, tunc iterum dominatur in eis humidum. & primum in illis, quæ generantur ex semine, quod dominetur humidum, manifestum est illis, qui sperma humanum aliquando uiderunt; id enim est humidum: propterea uidetur quod mixtum genitum ex illis sit etiam humidum. Secundo quia sanguis est ultimum nutrimentum, qui tamen est humidus, ut sensu patet: ex eisdem autem sumus & nutrimur. Item, ea quæ non generantur ex semine, generantur ex putredine: omnia autem putrida sunt humida, ut infra audietis. Inanimata autem uel sunt metalla, uel lapides: si metalla, sic sunt humida; quia patiuntur liquefactionem, per quam sunt continuata. si autem sunt lapides, uidetur etiam quod illi sint humidi; quod patet in eorum generatione: cristallus enim, & omnes lapides à principio teneri sunt; deinde procedente æstate fiunt duriores. generantur enim lapides ex duplice exhalatione, uaporosa scilicet & humida: plus enim est in eis de humiditate, quam de siccitate. Et si arguitur, hoc mixtum est de ordine siccorum, ut dicunt multi medici. Respondet Gentilis hoc absolute esse falsum, cum in ordine ad æquale ad pondus compactio tantum fiat; & tamen sit cum comparatione mixtorum, quæ in ordine humidorum à medicis, & philosophis ponuntur. Hæc res est in extremo difficultatis: & multum difficile est iudicare, quæ opinio sit uerior. Hac in re Gentilis, licet sit magnus uir, mihi tamen non placet: & quanquam ego non habeo demonstrationē hac in re contra ipsum; habeo tamen ualde probabilia argumenta. Nam plura sunt agentia naturalia, in quibus aliquando prius appetit effectus siccitatis, quam humiditatis; nec agunt illa ex uoluntate, sed naturaliter: vnde tutia est siccā, & multa alia, quod sensu patet ex sua rupta continuitate, quod etiam cognoscitur ex tactu. unde etiam Comm. 10. metaph. uidetur huic opinioni fauere commento 15. dicit enim aliqua esse humida, aliqua siccā, & eadem est ratio de actiuis. sic opinio Gentilis, meo iudicio minus est probabilis. De hac autem quæstione parum nostri philosophi; multa uero medici scripserunt. & licet inter se digladientur, omnes tamen in hoc conueniunt, quod qualitates non possunt esse æquales: quæ autem dominantur, est discordia. secundum enim Gentilem nullū omnino inuenitur mixtum quod à prædominio sit frigidum uel siccum, & de hoc multa dicit in prima primi, ubi in summa hoc cōfirmat, quia omne mixtum aut est uiuens, aut non uiuens: qualitercumque sit, semper in eo dominabitur calidum & humidum: sed inter uiuens & non uiuens non est medium: quicquid autem uiuit, nutritur. & secundo de anima, uiuit, ergo anima nutritiua, ut patet in cap. de augmentatione, & secundo de anima, & in libello de longitudine & breuitate uitæ, de morte & uita, & in libro de inspiratione & respiratione: nam animalia fortia plurimum habent de calido & humido, & ideo multum respirat: unde medici per cataplasmatā & cerata calida confortant; omnia enim facit calor. Confirmatur, quia omne uiuens habet operationes uitales & naturales, quæ per Aristotalem & Comm. multis in locis fiunt per calorem: nam omnes operationes perficiuntur calido, imperficiuntur autem frigido: & ideo multi propter has duas rationes concedunt hoc in mixtis uiuentibus. Gentilis autem concedit hoc tam in uiuentibus, quam in non uiuentibus; immo uniuersaliter in omni mixto, in marmore, leone, & homine. Mouetur autem Gentilis hac ratione, quoniam in omni mixto sunt quatuor qualitates, ut audiuitis in primo tex. ubi dixit hoc expresse: & omnes illæ qualitates, sunt tam actiuae, quam passiuæ, agunt enim & reagunt, licet in hoc libro, ut dixi, duæ sint tantum actiuae, & duæ passiuæ. unde mixtum habet temperamentum in se, quoniam frigiditas temperat caliditatem & humiditas siccitatem: siccitas autem primo conuenit terræ in mixto, quoniam dat mixto constantiam & constringionem; continuitas autem datur ab humiditate, secundo de generatione: ignis autem opus in hoc loco non est calefacere; sed mouere, subtiliare, permiscere, diuidere, separare, & huiusmodi, quanvis hoc non sit de essentia calidi, ut prius dicitur.

Petri Pomponatii dubitationes

xi. Scio multos magnos viros, hic me derisuros : uos tamen consideretis, & uidebitis essentialie hoc esse mixtioni, quod fiat per calidum, quod partes permiscet : absolute autem, & per se, calidum calefacit, (hoc enim non potest absolui ab eo) aliae autem operationes insunt sibi secundario ; quare, propter aliud. Vnde comm. 3. coeli errauit, prima enim operatio calidi est calefacere : Arist. enim dicit quod calidum congregat per accidens, & segregat per se ; quod Comment. male intelligit : non enim segregat heterogena, nisi primo : secundo autem congregat. congregare enim inest ei per accidens, segregare uero per se: cuius oppositum dicit Commentator in eo loco. calidi enim primo est diuidere, segregare, & rarefacere, & huiusmodi ; quod patet, quando fit caseus ex lacte : primo enim calidum segregat partes ab inuicem, partes enim ex quibus fit butyrum, currunt ad unum locum, & partes ex quibus fit caseus, ad aliud simul : hoc autem fit rarefactione ; lac enim rarefit, antequam illarum partium fiat condensatio, ut ab inuicem separetur. Similiter etiam de metallis, quae liquefiunt. Ideo mentitur Comm. qui praeceps oppositum dicit, quod scilicet congregando diuidit. Immo è contrario diuidendo congregat. Et si arguis, ergo hic diffinit per accidentalia. Dico, ut prius, quod absolute inquantum est calor, diuidit, segregat, & rarefacit ; & per accidens congregat : inquantum autem calor producitur mixti fiendi, facit hoc per accidens, inquantum calor ; sed per se, inquantum est calor: huius mixti, id est, ut est calor talis. Et si dicas, omne agens uniuersale agit propter finem. Dico, quod facit hoc, non inquantum caliditas, sed inquantum directa ab agente naturali, per se congregat. Multi forte mirabuntur propter hoc, sed si uerba mea perpendantur, fortè non uidebuntur sine ratione. Melius autem habebitur, & clarius ab Arist. infra in hoc quarto, cum dicet, quod calidum non potest digeri, ignis enim digeri non potest : sed calida elixari possunt : nam digestio fit ingrossando : fit autem ingrossatio permiscendo humidum cum siccо, & subtile cum grossо, ut ignis & aqua, sunt autem bene elixabilia talia. Et si arguis, ergo hoc fit per accidens. Dico, quod est per accidens inquantum calor, sed per se inquantum in hoc mixto. Vnde agens, calefaciendo facit generationem ; sed non per se in ordine ad calorem : quoniam calor, inquantum calor, calefacit : at non sufficit hoc ; sed oportet calefacere ut introducatur forma mixti. Vnde sicuti non est mirum, ut dicit Plutarchus in uita Seztorij, inueniri posse duos homines omnino similes, aut in diuersis temporibus, aut in diuersis locis : sic etiam non est mirum inueniri duos homines istius opinionis. Credebam enim ego nullum unquam tenere, aut tenuisse hanc sententiam præter me; nuper tamen eiusdem opinionis inueni Io. Gramma. in secundo de generatione. Ut autem loquamus etiam de frigiditate, quam Furnus noster credebat nullam aliam habere actionem præter quam quod temperet calidum, tamen aperte Auerr. in paraphr. dicit quod congelat, & firmat mixtum ut patet. Nam homines inhabitantes regiones frigidas, sunt fortioris digestionis, quam qui inhabitant regiones calidas : habet enim calidum fortiter unitum à frigido: similiter adeps coagulatur à frigido, & liquefit ab igne: unde non est mixtum in mundo tam siccum, incipiendo etiam à lapidibus, ex quo non extrahatur oleum per alchimistas ; quoniam quod condensatur à frigido, liquefit à calido. Dico ergo, quod sola caliditas est, quæ inducit formam substancialem in mixto : humidas autem & siccitas non inducunt formam substancialem, sed habet se ut materia. sic nec frigiditas inducit formam substancialem in mixto ; sed habet se ut materia : at sola caliditas apud omnes peripateticos & medicos, & apud Platone, inducit formam substancialē : ergo omne mixtum, à prædominio est calidum, ut uidetur tenere Gentilis. nam nisi esset mixtum, non prædominaretur in eo forma mixti, quæ introducitur & excitatur ut calor ; quanvis huius oppositum sentiat Iacobus de partibus in prima primi cap. de elementis, in fine, ubi dicit opinionem Gentilis esse insanam. quod probat de opio, papauere, stupefactore pisce, & multis alijs mixtis, quæ sunt multò frigidiora, quam aqua. Et, ut ego sentio, Galenus eius opinionis fuit, quam tenet Iacobus de partibus, & etiam Vgo Senen. contra Gentilem. & licet ratio Gentilis uideatur bona, experientia tamen est in oppositum. Auic. autem quarta primi, & Arist. 8. physicæ auct. dicit, quod quando ratio aduerteratur experientia, tunc omittenda ratio, & standū experientiæ. Vnde, bene uerū est, quod plura

in quartum Meteor. Arist.

7

plura mixta sunt calida, quam frigida ; credo tamen multa à prædominio frigida esse. Sol uit autem Iacobus argumenta Gentilis quæ facit, de elementis, sed non de mixtis. Vgo autem Senensis, prima primi cap. de elementis, quanquam fuerit vir ingeniosus, tamen ibi fuit multum obscurus, ita ut difficile sit eius sententiam intelligere. Iacobus autem respondet ad argumenta Gentilis. Pro quo notandum, quod medici imaginantur duplē complexiōnē in animato, scilicet unam innatam siue propriam, aliam influentem ; ut os habet complexiōnē innatam & influentem : Nam per complexiōnē innatam, qua tale mixtum est, est siccum ; quoniam multum habet de terra : quoniam autem nutritur os, & uiuit ; nutritio autem fit per sanguinem missum à corde & ieiunore, & fit nutritio à tali calido & humido ; tunc respondet Iacobus procedere de complexione influente, sed non de complexione innata ; innata enim est ex mixtione elementorum in illo : nutritionem autem habet os à calido & humido, quod influit à corde. Ego tamen ualde dubito de hoc, quod cor sit à prædominio calidum : & quod distet ab æquali ad pondus per calidum, & humidum. Sed ad argumenta, forma mixti substancialis introducitur à calido, ut omnes tenent, Iacobus non poterit configurare ad distinctionem de calido innato & influente; ideo ego pono aliam responsum, quæ mihi satisfacit. Dicit philosophus in libro de inspir. & resp. quod animalia debent habere nutrimentum proportionatum nutrito, quod sit conforme nutriti complexioni; ideo Democritus, quoniam dixit animalia inhabitantia in aqua esse calidissima; et quod nisi configurerent ad eum locum, morerentur ob calorem, ab Aristotele improbatur: natura enim produxit cuilibet mixto complexiōnē conuenientem suis operationibus, ad quam faciendam requiritur locus proportionatus, in quo degat, uiuat, & nutritur : natatibus autem aptus est locus aqua, terrestribus terra, uolatilibus aer ; omnia enim animantia nutritur & souuentur à sibi simili, & conuenienti suæ complexioni. Cum autem arguit Gentilis, tam generatio quam nutritio fiunt per calidum. Concedo. Ergo fiunt per calidum excedens frigidum in mixto. negatur consequentia, quoniam, licet generatio, nutritio & formæ mixti inducuntur à caliditate ; nō tamen ob id est necessarium ut mixtum discedat ab æqualitate ponderali per calidum, & humidum. sed bene requiritur calidum obtinens, ad nostrum intellectum prius datum, quod ita se habeat ad alias qualitates, ut ex earum concursu in eodem, surgat, & generetur forma mixti proposita à natura ; & in nutritio requiritur tantum de caliditate, & humiditate, quantū est in mixto nutriendo : nā nutritus & nutritum debent esse similia, si enim mixtum haberet calorem tantum ut tria, frigidum ut quinque, tunc nutritum etiam habebit calorem ut tria, & frigidum ut quinq; si sibi debet esse conueniens. Et si arguis, denominatio fit à parte fortiori & prævalenti: ergo debet denominari à frigido, non à calido, cum in hoc mixto frigido frigidum dominetur. Dico quod non dominatur, ita quod forma substancialis inducatur à frigido. quoniam omnes tenent contrarium, quod etiam patet : Nam omnes operationes fiunt à calido : & frigidum, solum contemperat calidum, ut non sit intensius quam illi formæ, & operationibus sit accommodatum: dominatur autem frigiditas quo ad graduum intensio nem ; de quo dominio nos sermonem non habemus hoc in loco. Sed dominari intelligimus, quod formam producit : solum autem calidum producit, non frigidum : frigidum autem contemperat calidum & conuenienter formæ fit productuum : nam non omne calidum qualitercumque graduatum, est formæ, quam nunc uult natura, productuum ; sed sunt certi & limitati fines, qui diffiniuntur à contemperante frigido, remittente ipsum ad illum gradum, ut sit postea aptum ad formæ productionem. Sed adhuc dicetis; quomodo illud frigidum non impediret calidum, cum sit fortius & intensius, ut in superiori exemplo dictum est de mixto, ubi calidum est ut tria, frigidum uero ut quinque ? Dico, quod simul possent concorditer stare in eodem mixto, & in tali proportione esse adiuicem, ut simul concordi uoto uelint suscipere hanc formam mixti & non aliam, & ita nunc dico de mixto animato, & inanimato. Nam licet calidum sit remissius frigido, tamen adhuc est ita forte, ut huius formæ sit productuum : nec frigidum ipsum impedit, immo perficit contemperando ; nam si esset intensius, non fieret generatio huius formæ

B alius

Petri Pomponatii dubitationes

alias enim gradus caloris requiritur ad generandum leonem, alius ad generandum ceruū, & leporē, quæ sunt animalia multo frigidiora leone, & hoc modo credo respondendū esse ad argumenta Gentilis. & sicut dixi de calido & frigido, sic dicatis etiā de humido, & sicco. Ex quibus infero aliqua esse mixta à prædominio calida, alia à prædominio frigida, alia humida, alia sicca contra Marsiliū, Gentilem, Iacobum Forliū. & omnes qui in hoc sententiam eorum sequuntur. Et huius sententiae multi sunt ex antiquis doctoribus contra Gentilem. Exercitationis autem causa, adducam ego argumentum quo scolasticus adhuc Patauij usus sum, & adduxi uiro per celebri Antonio Trapolino præceptorī meo. Pro quo suppono, unam solam formam substantialem esse in composito: Et quod accidentia superioris mixti, ex quo genitum est nouum mixtum, omnia sint corrupta: & introducta sint accidentia noua, conuenientia huic formæ mixti ad mentem D. Thomæ. Tunc accipio hominem, qui exponatur aeri frigidissimo; uel proiectiatur in aquam frigidissimam; & moriatur illo frigore; tunc (in hoc omitendo Scotum) ibi generatur noua forma mixti: quæ ergo unde generetur? Non potest dici quod à calido; quoniam aer & aqua sunt frigidissima: si ergo dicas à frigido: ergo forma substantialis generabitur à frigido, quod est contra omnes. Respondebat præceptor meus tenendo opinionē Com ment. in 12. Met. 18. quod uirtute influentiarum cœli influentis calorem solis & aliorum astrorum in aerem fit hoc, & est quædam caliditas impressa in aere, quæ producit hunc calorem, quo demum generatur forma mixti. Ad hoc ego replicaui, quoniam posset homo mergi in aquam profundissimam, ubi aer nō possit attingere: & similiter multa mixta generantur in profundissimis locis sub aqua, & in profundo terræ, quod nunquam aer potest peruenire. Item in renibus generantur lapides & arenæ, & uermes generantur in homine, & in alijs animalibus, ubi non est aer. Tunc respondit præceptor meus, quod impossibile est hominem eo modo mori. Sed hoc mihi uidetur fatuum, quod homo mergatur in aquam profundissimam, & non moriatur.

D V B I T A T I O N E X I I I .

Est dubitatio circa expositionem tex. tertij, cum incipit Arist. loqui de generatione & putrefactione, in hac enim medici discordes sunt, & uariae sunt interpretationes. Vn.
de Alex. per generationem simplicem uult intelligi ab Aristotele generationem substatiæ:
& dicit, quod putrefactio est communissimè & maximè illi contraria. Hæc expositio non est
bona, quoniam ignis corruptio, & tamen non potest putreficeri. Ideo mihi magis pla-
cat expositio Alberti, quod Aristoteles probat, quod putrefactio contrariatur generationi
simplici, id est ratione qua mixtum est. Omnes expositores uolunt hanc esse eius ratione.
quod est ultimum cuiusque mixti geniti, hoc maxime contrariatur illi generationi, & co-
munissimè ei contrariatur: sed putrefactio est terminus ultimus ipsius geniti: nam finis u-
niuersique mixti est putrefactio: ergo &c. Argumentum est clarum. Maior patet, quo-
niam medium & finis contrariantur ut medium extremo; principium autem & finis con-
trariantur ut extreum extremo: minor autem est contrarietas medij ad extreum quæm
extremi ad extreum; ideo ultimum in genito maxime contrariatur principio geniti:
principium autem geniti, est generatio, finis autem putrefactio: ergo illa contrariantur
ut extreto. Quia autem dicit, unicuique genito, indicat quod est communissimum. Probat
autem, quod putrefactio est ultimum & communissimum. Ultimum non dicitur ad differentiæ
medij, quoniam maxima contrarietas est extreui ad extreum: est etiam contrarium uniuersi-
falsissimum, quia unicuique genito, dixit: Vnde hoc maxime contrariatur, quod contraria-
tur communissimo, & ut extreum extremo: & sic est hic. ergo. Probat autem minorem,
quia omnia mixta animata seu inanimata dimissa suæ naturæ terminantur per putrefactio-
nem, & deueniunt ad senium. Hæc est uis rationis Arist. licet expositores uarent, Auer.
autem potius turbet quæm exponat. Gaiet. solum probat minorem huius rationis, &
subintelligit maiorem. Vult autem Gaiet. hic per corruptionem intelligere non illam quæ
procedit de esse ad non esse; quoniam secundum eum illa non uocatur corruptio: nam
prius

in quartum Meteor. Arist.

prius putrefit mixtum ; deinde corruptitur : terminus autem non præcedit medium, sed è contra; ideo corruptio non potest esse uia in putrefactionem ; nam prius putrefiunt animalia quām corrumpantur . ideo uerba non sunt intelligenda ut sonant secundum Gaiet. sed prius mixtum disponitur per deteriorationem, & fit deteriorius ; demum putrefit : ultimo corrūpit uera corruptione, quæ est de esse ad non esse . Vnde hic per corruptionem secundum eum , alterationem intelligit præcedentem ipsam ueram corruptionem . & sic exponit hoc loco . Alex. autem aliter dicit , ait enim quòd senectus & auansis sunt ipse putredines , non fines putredinis ; & corruptio uiuentium & non uiuentium est putrefactio quædam . & sic etiam nos introduximus textum , quòd putredo est uera corruptio .

10 Nam secundum Gaiet. primo alteratur mixtum & putrescit, tamen adhuc uiuit . Et sic Gaiet. expositio dubia est . primo quia per interitum intelligit deteriorationem . secundo, quia putrefactio non esset corruptio, sed alteratio : Et, quæ est alteratio, non est corruptio simpliciter , sed secundum quid : illa autem quæ maximè corrumpit , est maximè generationi contraria: generatio enim secundum Aristotelem est in substantia, alteratio in accidente . Quare Alexandri expositio mihi uidetur melior, licet etiam non in omnibus satisfaciat . non enim uidetur procedere , ut sonant uerba Aristotelis : quia aliud est esse uiam ad putrefactionem , quām esse putrefactionem . Et hoc argumentum est contra ambas expositions . Hoc in loco ego non intelligo Albertum .

D V B I T A T I O X I I I

Alia est dubitatio circa expositionem textus quinti. Nam Alexander exponit uno modo, Latini autem alio. Dicit Aristot. quod aer aqua & terra putrefacunt, ignis autem non putreficit. Declarans hoc Alex. dicit quod intelligitur hoc secundum partem, non secundum totum: & tunc non sunt in sua dispositione naturali, sed extra naturam. uult enim quod calor extrinsecus corrumpat principium effectuum in uno illorum triū elementorum: nam unumquodque elementum habet principium actuum & passuum, ut aer habet principium actuum, calorem; passuum, humiditatē: aqua autem frigiditatem, & humiditatem, (secundo autem de generatione, & tertio de coelo audiuimus, quod secundum opinionem Vgonis, quodlibet elementum habet ambas qualitates in summo. nos autem ostendimus hoc esse falsum: & hoc etiam uidetur tenere Alex.) unde aqua putreficit, & corrūpit exposita soli; similiter & terra. quoties ergo corrūpit principium effectuum in elementis; tunc fit putrefactio: ignis autem putreficeri non potest, quoniam non potest fieri corruptio illa, nisi intendatur calor; intento autem calore in igne, non remanet amplius ignis. Secundo ponit aliam rationem, quoniam putrefactio fit in humido, ignis autem nullam humiditatem in se habet; ideo putreficeri non potest. Et addo ego, quoniam si mixtum putreficit, tunc corrumpitur à calido per diffinitionē putredinis: quod ergo agit in ipsum, necessario fortius est ipso passo: sed nihil est fortius igne in calore: ergo &c. Nam & ignis fit calidissimus omniū calidorum, patet secundo de generatione, & secundo metaph. An hæc uero expositio Alexandri sit uera, difficile est uidere. uidetur autem potius falsa. Ac primo, quoniam aer non semper corrumpitur à calido, sed etiam à frigido. Secundo, quia nec etiam potest fieri corruptio à frigido: esset enim aqua. ergo uidetur quod à calido. sed quomodo calidum potest corrumpere calidum, nisi extrahendo humidum? & si sic; corrumperet aarem, & non putrefaceret. si autem intendatur eius caliditas, annullaret humiditatem & fieret ignis. Tertio calor non potest causare putredinem: quoniam si hoc fieret, fieret per extractionem humidū: aer ergo non maneret humidus. uult tamen Alex. quod aer remaneat humidus, dicens ea quæ putreficiunt, remanere humidam & destrui debere in eis caliditatem. quare nescio ego quid dicam de Alexandro. Quarto Alexandri uerba non conueniunt diffinitioni putredinis. nam putrefactio est extractio proprij calidi ab aliena caliditate: hoc autem non potest fieri, nisi extrahatur humidum: quomodo enim si corrūpit frigidum, corrumpatur calidum? aqua certe calefacta non corrumpitur: similiter nec terra, cum calefit, putreficit. unde non dicit diffinitione, proprijs humiditatibus.

Petri Pomponatii dubitationes

miditatis , uel frigiditatis, uel siccitatis ; sed dicit propriæ caliditatis . Quambrem nullum video modum , quo possit saluari Alex. Ego diligenter eius dicta examinaui , an uelit forte dicere , quòd quodlibet elementum habeat ultra illum calorem , caliditatem quandam propriam à sole & stellis . & hanc opinionem tenebat concurrens meus Alexander Achilinus in commento 42. secūdi de ccelo , quam quidem ego in 16. commento ostendi non esse ad mentem Aristotelis , nec cum dictis Alexandri conuenire . Sumo enim argumentum Alberti contra eum , quoniam putrefactum resoluitur in cinerem : cum ergo aer nihil in se terrei habeat ; quomodo poterit resolui in cinerem ? similiter etiam aqua . Sic non poterimus etiam saluare textum Arist. stantibus dictis Alexandri : quoniam elementa amplius non essent materia mixti proprie . Vnde hæc opinio etiam improbatur ab Alberto , 10 & Thoma secundo de anima commento 113. Ideo mihi magis placet opinio latinorum , quæ est ut uerba Arist. intelligentur , quòd elementa manent simplicia , & non commiscetur . aer autē multis rebus commiscetur , quæ unā cum uaporibus eleuantur , ut à porcis & alijs fœtidis animalibus , & lacubus . et quando fit talis commixtio , tunc putrefit . sic etiam aqua putreficit non manens in natura sua propria , idest simplex ; sed mixta cum terra , & alijs rebus : tunc n. adueniens calor educit corpuscula calida ex ea , & educit partes à partibus , & facit malā mixtionē . Et hæc est mens latinorū , alia à mente Alex. Ignis autē putrefieri non potest , quia omnia quæ ei imponuntur , cōburit ; nec patitur aliquid sibi commisceri . Vnde boni medici ob hanc caufam iubent tépore pestis fieri ignem in cancris , ut consumantur uapores mali commixti aeri , & aer purgetur . & eadem ratione Venetijs raro accedit pestis , quoniā ferè in omnibus habitationib⁹ sunt camini . Et hæc opinio mihi uiderur uerior . Est tamen unum , quod uideretur obstat : quoniam dicit textus Alcyonij , quòd elementa proprie putrefescunt . proprie autem solum putreficit , quod mixtum est , elementa autem non sunt mixta . Littera nostra non dicit propriè , licet littera Alexandri id etiam dicat ; sed singulariter . Ego tamen exponerem illud propriè , idest habent proprium modū & peculiarem putrefactionis , distinctum à modis putredinis aliorum putrescibilium . nam non putrefescunt ut alia mixta ; sed proprium & singularem habent modum . & sic etiam expono , singulare , ut habet littera nostra . Et in hoc licet dicā contra Alex. non tamen audeo ipsum accusare magnum alioqui peripateticum . Verum certè est si sit etiam aliqua came- 30 ra clausa per mensem , ut non euenteretur ; generari in ea odorem terrum & putridum : aer enim intus putreficit . tamen non uidetur quòd aliquid admisceatur ipsi . Credo tamen si quis acciperet uas aliquod plenum aqua , & seruaret bene obturatum , modo non attingatur aqua ab aere & sole ; per multos annos eam non posse putrefieri . quòd si forte putrefiat , tunc excusandus eslet Alexander : ego autem , quia non sum hoc expertus , dubito quid in hoc dicā . forte id expertus est Alexander . Sentimus etiam ligna Ferrariensiā foetere in combustionē : foent tamen ratione uaporum in ipsis inclusorum , non ratione ignis : uapores enim illi inclusi , per uim ignis excutiuntur , & exeunt : & uapore illo foetor imprimatur in aeren ambientem . Opinio autem contraria etiam uera est : quoniam non habemus elementa pura , sed commixta . 40

D V B I T A T I O X V.

Alia est dubitatio , & hic incipiā examinare ea quæ dicta sunt in littera secundi capit⁹ ubi & contra opinionem cōem dicā . Alex. de his nihil dicit . Thomas & Gaiet. nō fatiſt faciunt . multa tñ à medicis dicta sunt , contra quæ ego dubitabo . Primo autē circa dicta philosophi , quòd s. putrefactio maximè contrariatur generationi simplici . hoc uidetur falsum : nam simplex generatio est substatiæ , uel per se , uel reductiæ ; quod pro nunc non curio . putrefactio autem est in genere qualitatis : ergo non sunt contraria . consequentia tenet ex 10. Metaph. Contraria enim sunt eiusdem generis . Antecedens patet per Alexandrum , qui exposuit generationem simpliciter , idest generationem substantiæ , quæ talis dicitur ad differentiam generationis accidentium , quæ est generatio secundum quid .

in quartum Meteor Arist. 9

quid . Quòd autē putrefactio sit de prædicamento qualitatis , uidete Plusquamcomm. 3. techni . cap. de putredine comm. 52. & etiam Vgonē in quæstione peculiari de putredine . illi enim citant Galenū 11. Terapeu. cap. 8. qui dicit putrefactionem esse de genere qualitatis . Ad hoc existimo esse dicendum , quòd generatio sumitur uno modo pro subita acquisitione termini ad quem , siue subito prouentu formæ : secundo pro alteratione precedente ; tertio pro aggregato ex his . Et sic etiam distribuitur putrefactio in tres modos , & hoc habetis à Commen. 6. phys. com. 32. si ergo ambæ sumuntur primo modo , sic putrefactio non est contraria generationi : si secundo modo ; pro alteratione prævia ratione dispositionis ; putrefactio est opposita generationi simplici , quia alteratio ad genera- 10 tionem & putrefactio sunt contraria , cum ambæ sint in eodem prædicamento & uerè oppo- sita ; pro aggregato autem referendo singula singulis , etiam sunt contraria : si tertio modo , tunc ambæ semper erunt contraria . Galenus autem accepit putrefactionem pro alteratio ne prævia , sed tamen ut in generatione substantiæ . Et hæc sit responsio breuis .

D V B I T A T I O XVI.

Non uidetur quòd generatio sit maximum & communissimum contrarium putrefactionis . nam generatio est mutatio de non esse : sed generatio in hoc loco est , quando qualitates actiuae obtainent in debita proportione super passiuas . sua autē contradictoria est , nō habere illam proportionē super passiuas . & hoc est uerè sibi contrarium . sed ex fine librī Periherm. unum tantum uni contrariatur , ut etiam habetur 10. Metaph. putrefactio autem in sua ratione formalis non dicit quòd qualitates actiuae non obtineant super passiuas . Quare uera ratio corruptionis mixti erit , quòd qualitates passiuæ dominentur actiuis ; & hoc erit uerè contrarium generationi ; non ut Aristoteles dicit , quòd sit putrefactio . Confirmatur , quoniam hoc non est maximum & universalissimum contrarium generationi , quod non comprehendit sub se omne contrarium generationis : sed putredo est huiusmodi . Probarur nam multa corrumpuntur per combustionē , quæ tamen non putrefescunt : similiter etiā si moreretur homo ex frigore , uel nimia humiditate , uel siccitate , illa omnia corrumperentur ; tamen non putrefierent . Vultis autem hoc uidere ? sanitas fit 30 ex proportione quatuor humorum , quæ consistit in parua latitudine , & fit tantum uno modo : ægritudo autem fit infinitis modis . si quis enim perit ægritudine , non statim necesse est in eo superabundare sanguineum humorem , cum etiam sæpe ex cholera , uel atrabilis uel pituitæ abundantia , uel defectu , corpus ægrotet : mixtum enim dissolui poterit ex calido , humido , frigido , uel siccо ; neque ad aliquod illorum astringitur . ergo putrefactio non est maximum , & communissimum contrarium . Et , ut breuiter dicam , putrefactio non continet omnem corruptionem contrarium generationi . Respondeatur ad hoc , quòd argumentum concludit demonstratiuē : sed non est contra dicta Aristotelis . nam Aristoteles non dicit , quòd contrarium generationis absolute captæ communissimum & universalissimum sit putrefactio : sed quæ dicitur naturalis corruptio in mixto , non fit nisi per putrefactionem . unde si mixtum corrumpitur calore ignis , ut adustione uel frigore , uel siccitate , uel humiditate , hoc potest fieri per uiolentiam , & hoc non intelligit philosophus ; sed intelligit de corruptione naturali . nulla autem est corruptio naturalis , quæ non fiat per putrefactionem . Verum autē & absolutum universalissimum contrarium generationi est disproprio quatuor qualitatum . si uero nos corrumpimus naturali corruptione , semper corrumpimus putredinem .

D V B I T A T I O XVII.

Alia dubitatio est . Tu dicas , quòd omnis corruptio fit per putredinem . dicitur autē secundo phys. quòd natura est principium intrinsecum mouendi & quiescendi : na- 50 turale autem dicitur tale , quia per naturam suam tale : ergo à principio intrinseco tale , ut patet ex definitione naturæ . putredo autem in mixto , fit à principio extrinseco , quod pa-

tet ex diffinitione putredinis, quia dicit ab aliena caliditate: nam declarando etiam illa uerba Aristot. dicit, quod est à continente, & ut in physicis dictum est, cuius principium est extrinsecum. ergo continens, id est aer, cum sit extra mixtum, si in eo fit putredo, fit à principio extrinsecō, ergo est uiolenta. Et hic est maxima difficultas, quomodo putredo sit naturalis, cum tamen secundum Galenum, Aristotelem, & alios omnes fiat ab extrinseco. Hic digladiantur authores inter se: & varij sunt modi dicendi. primus est Petri de Aluernia, quem habet magister Iacobus Carpus noster, & ille mihi uidetur in libro de morte & uita sic respondere, quod putredo est motus naturalis, & etiam motus contra naturam. Debes hic scire, quod, ad hoc quod aliquis motus sit naturalis, non requiritur quod principium actuum sit intrinsecum, sicuti dicunt etiam alij expositores, maxime Burleus, & Thomas secundo phys. qui dicunt quod motus naturalis fit à principio intrinsecō; nō actiū, quod principium effectuum sit ab intra, sed passiuē est hoc intelligendum. Unde ad motum absolutū non requiritur principium intrinsecum actiū, licet in aliquibus motibus bene requiratur principium. Item dicūt, quod aliquid est naturale materia, quod non est naturale formæ. Et tunc respondeatur, quod motus naturalis est ipsa corruptio, quia non requirit principium actiū intrinsecum, sed sufficit passiuū. Est enim naturalitas illa non ratione formæ, sed à principio intrinsecō passiuo, scilicet materia; quia materia appetit aliam formam: passiuū enim confert uim, quia inclinatur materia ad aliam formam suscipiendam. ideo non inconuenit eundem motum respectu diuersorum esse naturalem & uiolentum, est enim naturalis ratione materia; uiolentus ratione formæ. Verum hæc responsio meo iudicio nullius est ualoris, quia dixit philosophus, quod finis omnium quæ corrumpuntur, est putrefactio, nisi uolenter corrumpantur. Ista ergo responsio non mihi uidetur esse Petri de Aluernia, nec potest stare: quia sequetur, quod combustio etiam esset putrefactio, quoniam etiam in combustionē materia confert uim, & nō forma, & aequē esset motus naturalis. Albertus in suo commento copiose mouet hanc difficultatem, Alex. autem nudo pede transiit. Dat uero Albertus multas responsiones, quæ tamen tendunt in unam: quod, ideo sit motus naturalis, quoniam multa mixta fiat ex putredine. Hæc tamen est fatua responsio. primo, quoniam hoc esse naturale, est naturale rei genitæ; sed non rei quæ corrūpitur, uel putrefit. secundo quoniam etiam in corruptione uiolenta, ut in combustionē, hoc idem fieri potest, ut ex combustis generentur alia mixta. Vgo Senen. composituit quæstionem de putredine, & minc habetur in commentarijs, quæ scripsit super tertio techui, & ibi citat quæstionem Gentilis, ubi dubitat, an in unquam febre requiratur, aliquā partē cordis ponit in calefactione. Ego autem quæsiui quæstiones extrauagantes, & textuales, sed non inueni. Vnūm est, quod in quæstione de maioritate morbi, hanc quæstionem citat: sed ego eam non uidi. Vnde hæc est sententia Alberti, ut sibi imponit Vgo, & etiam Gentilis, qui mihi uidetur fuisse illiusmet opinio- nis, quod re uera caliditas existens in mixto retinet formam mixti in subiecto, & etiam retinet quod sit caliditas ignis. ideo considerantur duo, unum naturale, aliud uiolentum; secundum hoc autem, quod est naturale, secundum illud non est uiolentum. unde in putrefactione caliditas non potest dominari passiuo: nam caliditas in mixto est caliditas mixti, & est caliditas ignis: cum autem corruptitur mixtum, tunc illa caliditas non est amplius caliditas mixti, deperdit enim proprietatem illam, quoniam non amplius manu- net illa miscibilia: non tamen perdit illam proprietatem, quæ conuenit tibi in quantum est ignis: ratione enim quæ ignis, tunc calefacit, & extrahit humorē, & hoc facit natura liter: & ratione huius dicitur motus ille naturalis, retinet enim naturalitatem ipsius ignis, non tamen caloris mixti. Inquantum ergo igneus calor, calefacit, rarefacit, extrahit humorē, & in uaporem conuertit. Et si uerum est, quod refert Vgo; tunc Gentilis fuit hu- ius sententiae. Vgo autem gloriatur se solum intelligere hanc quæstionem, & reprehendit Albertum, & Gentilem, qui tamen etiam ipse declinat ad hanc sententiam. Differunt tamen, quoniam Albertus & Gentilis uolunt, quod extractio humidi fiat à calore proprio, non ut proprius est, sed ut extraneus, quod scilicet proprius calor extraneatus extra hat humorē, & ratione illa sit motus naturalis: Vgo autem multum laborans, & citans multos

multos locos Auicennæ, uult quod non sit ex calore intrinseco, & naturali; sed solus ca- lor extrinsecus sufficiat: & dat exemplum de phlegmate uitreo putrescente à sola inflam- matione concepta à calore extrinseco. & quod calor intrinsecus, propter hoc non neces- sario extraneetur: sed quod tamen dicitur naturalis motus, quia ille calor est nunc intrin- secus, & conceptus in ipso phlegmate, facitque ipsum euaporare & putrescere. Ex hoc ergo illi tres conueniunt in hoc, quod putredo sit motus naturalis, quia ab intrinseco. adu- stio autem fit ab extrinseco, & nullam omnino uim confert passum, sed totum fit ab extra nō sicut putrefactio. Vgo autem uult quod adustio fiat tota ab extra; sed putredo aliquo modo fiat ab intra; quia calor est in esse accenso, & putrefaciēdo humorē intrinsecatur illi: & ideo aliter confert uim ipsum passum. Et tunc respondent illi ad argumenta, quod putrefactio quantum ad principium inchoatiū est motus uiolentus, & nullo modo na- turalis; quoniam mixtum non potest obtainere formam mixti, sed definit esse; & ideo est motus uiolentus. Sed secundum Albertum, & Gentilem, prouenit à calore intrinseco, qui retinet calorem ignis; & quia est caliditas intrinseca, ideo est naturalis. Vgo autem uult, quod caliditas sit humoris illi intrinseca, & propterea dicitur naturalis. Meo tamen iudi- crio istæ responsiones, & Alberti, & Gentilis, & Vgonis sunt uana, multis de causis. dicūt enim ij, & concordant in hoc, quod in principio est motus ille uiolentus ob eam causam, quoniam calor fit impotes ut retineat mixtum, & per hoc est contra naturam mixti: retinet tamen naturam caloris, quoniam remanet igneus, ut dicunt Gentilis & Albertus: calor n. remanet ignis, qui aptus est ut faciat euaporare, ut in lignis apparet, quia ibi calor igneus. facit etiam euaporare; & sic adustio esset naturalis, & uiolenta. Sed cōtra, semper in adu- stione corruptitur forma istius mixti, & tamen per hos semper remanet aliquid istius ca- loris ignei: retinet enim operationem caliditatis, & operationem ipsius ignis post adu- stionem, ut etiam post putrefactionem: per hoc ergo non differt una transmutatio ab a- lia, quod tamen uult Arist. & profecto hoc argumentum demonstrat contra eos. Secundo dicunt ipsi, quod putrefactio fit tota ab intrinseco, combustio uero tota ab extrinseco. Di- cant hī nonne in assitione exit humiditas, & pinguedo? at non alia de causa humor ille educitur, & exit, nisi propter calorem existentem nunc intrinsecum, licet principium in- choatiū fuerit à calore extrinseco: (caro enim assita remota ab igne adhuc comburit, & lædit manus tangentis eam, quia partem retinet interni caloris illius) & tamen nō est hæc mutatio putrefactio; sed adustio, uel assatio. ergo male Albertus dicit quod per hoc differt adustio sive assatio à putrefactione. Item, dicunt illi, quod caliditas extranea est, quæ prius fuit naturalis. Cur autem illud mixtum non debet etiam posse corrupti ab hu- mido? quasi quod de necessitate mixtum semper corruptatur à calido, & nunquam ab a- lijs qualitatibus, ut à frigido, humido, & sicco. quare enim, quare illæ corruptiones non essent naturales, sicut illæ quæ fiunt à calido, aut si sunt etiam naturales, quare de illis ni- hil dicunt? dicunt enim de sola combustionē; nihil autem de hoc, quando homo mori- tur frigore, aut alio modo. Ego in hoc sentio, pace tantorum uirorum, totum oppo- situm. Et dico, putrefactionem esse motum naturalem, & etiam uiolentum. est autem na- turalis, non quia à principio intrinseco; sed quoniam si mixtum dimittatur sive natu- ræ propriæ, & non impediatur, ita quod non corruptatur uolenter, sed secundum cur- sum communē naturæ; id est fires stent in suis proprijs locis excepto omni impedimento, dempta. S. omni necessitate, tunc corruptio fiet per putredinem, & nulla alia corruptione mix- tum corrupti potest. Est autem motus uiolentus, quoniam fit à principio extrinseco: & argumenta, quæ adduxi, hoc demonstrant. Nominat autem Aristoteles hanc corruptio- nem naturalem, non quod non sit uiolenta, id est à principio extrinseco (est enim à prin- cipio extrinseco, quia à calore continentis) sed quia remoto omni impedimento mixtum naturæ sive dimissum corruptetur per putredinem. Contra autem hanc positionem du- bito, & insto, primo quoniam non solum est contra me, sed contra Aristotelem, & ex- positores. Nam putrefactio est corruptio propriæ caliditatis, & est finis omnium mixto- rum secundum naturam, quia omnia denum corruptuntur à continente: continens est aer, & locus ipsius mixti, qui est conseruatiuus locati, ut dicit Porph. in cap. de genera- tione. Est enim

Petri Pomponatii dubitationes

tione: Est enim patria principium generans, sicut & pater. ergo si locus conseruat, non corrumpt: cum nil unum & idem existens respectu unius & eiusdem rei possit esse conseruatum & corruptuum, cum sint omnino opposita. ergo aer continens nō est causa putrefactionis mixti. Secundo arguo, & praeceps contra expositionem nostram: quoniam Galenus tertio techni. tex. decimo, dicit quomodo alterantur corpora nostra, & dicit quod hoc fit ab aere aliquando, calido, aliquando frigido, aliquando humido, aliquando sicco: si ergo continens non potest absolui à contento; ergo nec locatum absoluatur à loco: sicut ergo corpus alteratur à continente per calidum, ita etiam potest alterari à frigido, sicco, & humido. & sicut generatio fit à proportione illarum qualitatum; sic corruptio fit ex disproportione earum: disproportio autē fit non solum in caliditate, sed etiam in alijs tribus qualitatibus. ergo uerum non est, quod naturalis corruptio mixtorū semper sit putrefactio. Profecto hoc argumentum uidetur demonstrare. Si dicatis, ergo expositio nulla. Respondet, quod dicit Aristoteles, quod omnia mixta naturalia quae secundum naturam corrumpuntur, hoc modo corrumpuntur, immo etiā aliqua elementa, ut su pra dictum est: & ita nos mentem Aristotelis sumus assequuti. Tertium argumentum, quod etiam stringit Aristotelem, est, quia in septimo climate & ultra septimum clima, ubi sunt quasi perpetua frigora, niues, & glacies, illi homines non poterunt consumi putredine: ergo non omnia mixta consumuntur putredine, patet, quia habent continens calidum, quod possit consumere humidum radicale, & ipsum educere: hic enim in regionibus calidis propterea fiunt putredines magis in estate, quoniam calor continentis est uehementis: sed ibi (cum sint intensissima frigora, unde neq; ultra septimum clima habitant homines, immo neque bestiae, quamvis reperiatur alia mixta in quibus adhuc procedit argumentum) magis uidebuntur corrūpi mixta congelatione, quam putredine. Quartum argumentum est, quoniam qui sunt in primo climate, ut sub Tropico cancri, non possunt putrefactione corrupti; cum ibi sit maximus aestus, & propterea potius pereant aestu, & aputatione. Quintum argumentum est, quoniam multa sunt mixta, quae sunt siccissima: quod modo ergo poterunt ea putredine absumi, cum purrefacta primo debeant effici humida, & ultimo siccā? Exemplum est de silice, & adamante, & omnibus lapidibus, & metallis, hæc enim non putrescunt. Immo, qui exercitati sunt in lapillorum præiosorum commutatione, & cognitione, sciunt quod uniones & margaritæ non durant ultra centum annos: 30 sed adamas, hyacinthi & sapphiri nunquā putrescunt, imo durant plusquā 4000. annos. Sextū argumentum est, quia uidetur magna fatuitas Aristotelis, qui dicat omnia mixta corrupti putrescendo. putrefactio enim solum fit ab aere siue continente: lapis autem uideatur multo fortioris resistentiae, ut adamas, si ponatur in aerem separatum, qui aer fit aetiūs. ergo adamas positus in aere temperato, per casum, aeterno tempore durabit, si dicta Aristotelis sunt uera. nam secundum eum naturalis corruptio tantum fit à putredine: dicit enim finem omnium mixtorum esse putrefactionem. Septimum argumentum est, quoniam Auer. 2. phys. com. 1. dicit, quod simplicia & mixta differunt, quia simplicia sua corruptionis habent tantū principium passiuum, non actiuum, scilicet à materia, & non à forma; ideo corruptiuntur tantum à principio extrinseco, non ab intrinseco: sed mixta 40 habent principium corruptionis ex ipsa forma, à principio actiuo ultra passiuū; ideo habent duplex principiū intrinsecum, suę corruptionis, ultra principium extrinsecum, quod inducit corruptionem uiolentam. cum ergo corruptiuntur naturaliter, hoc fit à principio intrinseco, aut forma, aut materia: sed putredo est corruptio naturalis: ergo fit ab uno illorum principiorum, non à continente; cum continens omnino sit extrinsecum mixto: quomodo enim potest fieri corruptio ab extrinseco principio aut continente, & esse naturalis? cum Aristoteles in libro de morte & uita ponat duplē corruptionem mixti: unam naturalem, quae fit à principio intrinseco effectiuo; aliam ab extraneis occurrentibus, & hæc est uiolenta. quomodo ergo putrefactio potest esse naturalis, cum fit ab extrinseco occurrente corpore, scilicet aere nos ambiente? In oppositum est Aristoteles qui uult, 50 quod omnia mixta natura ipsa putredine pereant. Has difficultates nullus inter Latinos, Grecos, & Arabastetigit. ideo mihi ignoscendum est si non satisfecero uobis, præscr

tim

in quartum Meteor. Arift.

II

tim cum neque mihi ipsi satisfaciam. Ad primum argumentum, ubi dicebatur, locum esse conseruatum locati, ergo non destruatum, respondet Commen. 2. de anima 113. & Thomas eodem loco, Albertus etiam hoc in loco, & meo iudicio satis bene, quod quantumcunque locus sit conseruatus locati; non tamen ita conseruat, quod non aliquando corruptat, tempore conueniente: immo necessario aliquando corruptit: sed quia minus corruptit quam aliquis alius locus; ideo conseruatus dicitur, quoniam necessario aliquando corruptat. magis aut̄ hic locus defendit hoc mixtum à contrarijs, quam aliquis alius locus. unde dicit Auic. secunda primi, quod aer semper exsiccat corpora nostra, quia plenus est lumine coelesti & influxibus illis à celo, quae exsiccant & alterant. D. autem Tho. facit multa uerba de conuenientia formæ substancialis cum igne: sed tamen etiam finit in hanc responsionem, quam ego dedi. quod nil à corruptione tutum est, etiā in naturali loco. Albertus uidetur dare etiā alias responsiones: sed tandem ad hanc declinat. Ad secundum dubium, quod est multò difficultius, quare non possit fieri corruptio tam à frigido, quam à calido, & si fit à frigido, cur non dicatur tam naturalis sicut ea quae fit à calido. et tamen Galenus, ita uidetur sentire. hoc argumentum multum mescolit, nec mihi ipsi satis facere possum. Magna est Aristotelis authoritas, magnus est etiam rationis impetus. Ad sustentationem tamen dictorum Aristotelis posset dici, quod per omnes qualitates extrinsecas ei & caliditatem, & frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, possit fieri corruptio. Quare ergo corruptio à caliditate continente dicitur naturalis, & non illa quae fit à frigido, aut alijs qualitatibus, ut sonat argumentum? Hoc uidetur non posse euadi: etiam si dicas, quod sola corruptio, quae fit à calido dicitur naturalis. Quæro enim rationem, cur magis hæc quam alia. Vnde ego imaginor aliam responsionem in via Aristotelis, quod putrefactio est resolutio in quatuor elementa: generatio uero huic opposita est unio illorum, ut simul coeant, & lateant sub una forma mixta, ut audiuis in diffinitione generationis naturalis. s. quod actiua dominantur passiuis: generatio enim fit, quando calor aggregat passiua: corruptio autem quando segregantur illa, & dissoluitur calor: aut extrinsecus à continente immutatur calor intrinsecus, ita quod non possit retinere quatuor elementa simul, & quiescere bene simul, sicut prius, & tunc fit corruptio. Sed hoc dicitur potius de calido, quam de frigido, quia à frigido non fit dissolutio. proprium enim frigiditatis est congregare, ut dicit etiam Vgo in sua quæstione. ideo quia caliditatis proprium est dissoluere, frigidi autem unire: & quia frigus non dissoluit, sed potius unit: calidum uero dissoluit. & quia dissolutioni opponitur unio: per unionē aut̄ fit generatio, & illi contrariatur dissolutio quae fit per calidū: ideo illa dicitur propriè corruptio naturalis, quia calor, cui oēs attribuimus generationē mixti, & conseruationem elementorum, dissoluit ea, & disaggregat, qui tamen simul conseruare deberet. ideo illa corruptio per calidum dicitur naturalis, & non illa quae fit per frigidum, ut patet in tex. quando dicit. ¶ Est autem ille qui est in continente. ¶ Sed dicetis & bene. hæc solutio stare non potest, quoniam sit, a, mixtum compactum ex quatuor elementis uel formaliter uel virtualiter, quoniam pro nunc non curio: corruptiū & dissoluatur in quatuor elementis: si, a, corrūpitur à calido, quæro nunc, si per casum corrupteretur à frigido, an eriam resolueretur in quatuor elementis, aut non. si dicis quod resolueretur in quatuor elementis, corruptione quae fit à frigido; ista responsio nullius ualoris erit. si dicas quod non, dicitur ergo ratio diuersitatis, quare corruptio à frigido non possit fieri in quatuor elementis, non enim uidetur quid repugnet. Argumentum uidetur difficile & maximam habere uim. sed dicetis forte, quod corruptio non fit in quatuor elementis, sed in aliud mixtum. At sic fieret processus in infinitum. Ego responderem, quod, quando fit corruptio à frigido, tunc non fit resolutio in elementis; sed illa pars, quae nunc est ignis, forte mutabitur in aquam uel in terram. immo, ut scitis ex secundo de generatione, unum elementum immediate potest mutari in aliud elementum, ut ignis in terram, absque hoc quod transeat per medium. & sic respondendo euades multas difficultates quae in hac re obijci possunt. Ad quartum argumentum de ijs, qui degunt in septimo climate, dicerem 50 & in septimo climate nō corruptiuntur naturaliter nec ex putredine. tamen Aristoteli non

non uidetur quadrare modus iste dicendi, quoniam sunt uniuersalia; loquitur enim de omnibus, & qui sunt in oriente, & in occidente, septentrione, & meridie. Vnde oportet dicere, quod illa corpora non corrumpuntur naturaliter: aut si illa corruptio est naturalis, tamen non est putrefactio, nam non corrumpuntur illa corpora putrefactione. Sed dices, Aristotelis uerba sunt uniuersalia & ualde expressa, quod omnium finis est putrefactio. Si tenuerimus aliam opinionem, & quod Aristotelis propositio sit uniuersalis absoluete, ita quod omnia mixta finiat durationem suam putredine, tunc aliter est dicendum ad authoritatem Galeni. Notatis autem ea quae supra dicta sunt, quae tangit etiam Vgo, cum determinat de mixto simplici, id est absolute capto, in quantum mixtum est, & ideo in mixtis est propria resolutio illorum quatuor elementorum: quando autem fit corruptio sive resolutio in quatuor clementa, tunc propriè fit putredo, & fit à calido. Sed quando corruptio fit à frigido; non fit resolutio in quatuor clementa: neque enim possent corrupti per uiam frigiditatis hoc modo. ideo licet Aristoteles, & Galenus dicant, quod corrupti tur eo modo; Dico tamen quod non intelligunt de corruptis à frigido. Verum ut melius intellexistis in alia conclusione, qua dictum est omnium corruptorum finem esse putredinem, credo ego, quod corruptio immediate non fiat à frigido, sed à calido, quod est in aere circumstante. Vnde licet aer dispergetur per frigidum; tamen possibile est quod frigus circumstans per antiperistasm intendat ipsum calorem naturalem ipsius mixti; quoniam calor à f. ignore circumstante constringitur, atque ita intensus aut non potest amplius quantum elementa simul retinere in mixtione, sed fit corruptio naturalis; aut quia calor ex-trinsecus partes sibi uicinas per antiperistasm in calore intendit & fortificat, ita quod licet aer extrinsecus sit frigidus, tamen aerem sibi uicinum in calore intendit per actionem contrarij sibi oppositum fortificantis; & fit calor intensior, qui educit calorem mixti, qui demum est causa putredinis. Ad argumentum ergo de primo, & ultimo climate, in prima uia, patet responsio: nam non fit ibi corruptio, quae uocatur putredo; aut si fit, tamen non fit resolutio in quatuor clementa. Sed in secunda uia tenendo Aristotelem uniuersiter locutum fuisse; dicendum, quod licet sit ibi gelu, tamen non est semper gelu; nam illa mixta ibi sunt genita: ergo à calore sunt genita: & si corrumpuntur uniuersali corruptione; etiam corrumpuntur à calore, cum ibi non sint perpetua frigora; immo aliquando etiam calor, licet non tam magnus, ut alibi. & si essent ibi perpetua frigora; tamen ibi sunt stellæ, quae agunt, & inducunt calorem in illo mixto: agunt enim superiora in inferiora mediante lumine, & disseminant calorem in aerem medium: & sic ille calor inducit putrefactionem in ipso mixto. Vnde non est in illis locis semper tam immensa frigiditas, quin aliquando tanta sit caliditas, quae sufficiat tam ad generationem quam ad corruptionem mixtorum. cum ergo generentur mixta, non est mirum si ibi etiam corrumpantur corruptione naturali. Vnde per antiperistasm calorem concentrato, fit fortior calor in continente: generantur n. etiā uermes in medio hyemis sub niue gelidissima spissime, qui tamen generantur ex putredine: immo etiam aliquando secundum philosophum aliquæ partes ignis in concauo orbis lunæ corrumpuntur, ut infra clarus audietis; forte quod per antiperistasm fortificatur caliditas innata, & extraneatur ille calor ab intra in mixto, & fit causa putredinis, ut clarus audietis in diffinitione putredinis. Hec mea responsio, quam dedi singularem contra Gentilem & alios, difficultatem facit in hoc loco. sed est propositio Aristotelis, quæ difficultatem facit. Nam in opinione Alberti, & Gen tilis, & illorum, æque bene oportet respondere istis argumentis, sicut in nostra. in primo aut modo dedi responsionem quæ post dicemus, quod nullum illorum mixtorum in septimo climate, corrupitur corruptione naturali, quia non resoluuntur in sua principia; sed corrumpuntur à frigido, & resoluuntur, non in quatuor elementa, sed in terra, nā mixtum illud, & ignis ac aer in eo immediate conuertuntur in terrā. ideo fit corruptio in aliquod elementū, uel aliqua; sed non in omnia quatuor: & hoc ego credo esse sustentabile, nec video aliquod argumentū, quod cōtra hāc responsionē concludat. Ad aliud argumentū de primo clima te, in quo est maximus calor; ergo non uidetur q̄ ibi possit esse putredo, sed adustio: Dico primò q̄ ibi non est putredo; sed illorū corporū fit adustio. ad propositionem aut Aristoteli, dico

Iis, dico quod intelligitur dimissa suæ naturæ, & cum res mixta corrumpitur corruptione naturali: sed mixta in illis locis calidissimis non corrumpuntur corruptione naturali, quæ fit in quatuor elementa: sed aduruntur, & corrumpuntur uiolenter. corruptio autem naturalis resoluit mixtum in sua principia: sed corruptio per calidum intensum, qualis est adustio, non fit in principia mixti: nec etiam corruptio à frigido, ut supra dictum est. non enim mixtum resoluitur in quatuor elementa: ideo argumentum non ualeat. In secunda autem uia notatis, quod dicit Plato in Phædone, quod in locis calidis, & temperatis, & siccis, corpora diutius durant à putrefactione: unde dicit quod ossa, & nerui sunt immortalia, quoniam diu durant; sed non sunt omnino innoxia putrefactioni; quia cum diu durauerint, tandem putreficiunt; tardius tamen quam alia corpora in alijs regionibus, & climatis, nec tam aperte, & sensibiliter: corpora enim siccata ualde diu durant: unde aduruntur, id est non tam aperte putreficiunt, ut corpora humida: & fit adustio comparatione ad alias regiones, non tamen absolute. Quod autem hoc sit uerum, patet, quoniam ibi etiam fit generatio, ideo & corruptio huic opposita. Et licet ibi sit magnus calor, non tamen tantus est, ut ibi non possit fieri generatio, & corruptio mixtorū, quæ sunt generatio nes & purifications naturales, & uocantur putredines. Ad argumentum de metallis, & lapillis siccissimis; dico, quod non est dubitandum, quod aurum putrefiat, & etiam alia metalla. hoc enim patet experientia. sic etiam de lapidibus. Vnde si aurum, & lapides dicantur impurificabiles, absolutè hoc est falsum; comparatiuè autem est uerum.

20 Nam à principio mundi tantum aurum est genitum, quod si non putreficeret, nō esset eius tanta inopia: sic de lapidibus. Et si dicas, lapides sunt siccissimi, sed putrefacta fiunt humida. ergo &c. Dico quod lapides sunt humidi, aliter non esset in eis continuitas: nam nō potest esse aliquid continuum, nisi in se habeat humiditatem. Loquor autem de mixtis sublunaribus; unde lapides fiunt uetusissimi: tamen ultimo putreficiunt, & fiunt marcidi, & fit in eis humiditas superficialis. ad sensum: demum autem incinerescunt, & fiunt humili, licet non tam humili fiant, & tam sensibiles, ut cadaver hominis, & alterius animalis, quæ ultra humiditatem continuantem habent etiam aliam humiditatem. Ad hoc, quod de margaritis dicitur, comparatione aliarum gemmarum, dico ut prius, quod lapides diu quidem durant, sed tandem putreficiunt, licet non sensibiliter. Ad aliud argumentum quod fuit ualde apparet, quoniam putredo fit à continente; sed aliqui sunt lapides, qui nec ferro, nec igne, nec malleis frangi possunt: quomodo ergo aer, qui tam subtilis est & temperatus, possit illos destruere? Dico quod aer potest facere id quod ignis & ferrum non potest facere. licet enim sit modicæ uirtutis; tamen longissimo tempore destruit & corruptit lapides, & omnia mixta: quod non potest ignis facere modico tempore. gutta etiam longo tempore cauat lapidem, ut patet, quod tamen ignis nec aer aut terra efficere possunt in tempore paruo. sic aer in longissimo tempore corruptit omnia mixta mundi, etiā fortissima. Ad aliud argumentum, omnium mixtorum finis est putrefactio secundum naturam corruptorum, putrefactio autem est à continente: ergo si mixtum ponatur in loco temperato & sibi conuenienti, quo aer non possit attingere, & uenti, & huiusmodi intemperies; illud durabit semper, ita quod non interibit interitu naturali, licet sit compositum ex materia & forma, quod est contra omnes philosophos. licet quidam amicus meus contra me scripsit oppositum. ego tamē ostendi ei, quod errauit, & in quo deceptus est. multi enim decipiuntur argumentis logicis & mathematicis, quæ procedunt secundum imaginationem. Vnde si uolumus arguere, hoc est corpus, ergo hāc, & hāc illi attribuuntur, quia non illi repugnant. hoc non sufficit: sed oportet arguere, secundum quod corpus naturale est: & sic inuenies casum in arguento positum esse impossibile. Hinc multa corpori conueniunt mathematicè & logicè, quæ secundum naturam impossibilia sunt. Vnde in libro de morte & uita Aristot. ponit omnia, quæ sunt in mundo, tādem necessario interire, intelligendo de naturalibus, non de mathematicis: multæ autem consequētiæ ualent apud mathematicos, quæ in philosophia naturali nihil ualent. Quare ea ratione, qua corpus est, argumentū demonstrat logicè, sive mathematicè, non tamen naturaliter: quoniam omnia mixta sunt sub cœlo, & cœlum continuè mouetur, & quod o-

ctaua

Etaua sphaera non immutat in 100. annis, mutat tandem in 1000000. spatio annorum, aut etiam longiori. sic casus locum habere non potest. Ad hoc, quod dictum est de Auerroe secundo phys. quod mixtum habet in se principia duplia interitus, si Commentator intellexit absolute; falsum dixit: si uero tantum de animato mixto dixit, tunc uerum est. omne enim mixtum animatum habens uirtutem nutritiuan & animam mortalem, illud habet principium intrinsecum suae corruptionis (loquor de ijs quae habent animam mortalem) ut bene dicit Auicenna secunda primi in doctrina de uirtutibus, & uerè. sed de inanimato, Auerr. mentitur: nec Arist. unquam dixit, quod uniuersaliter omne mixtum corruptitur à principio intrinseco: sed hoc est uerum de corpore animato anima mortali; quia una pars alteri corruptionem affert, & alterationem, & tandem post longam alterationem corruptit. Et Burleus eo in loco, si recte niemini, castigat Auerr. & bene, dicens hoc esse uerum de mixto uniformi, sed non de difformi: licet hoc non sit de mente Aristotelis de mixto uniformi & difformi. Sed Aristoteles loquitur de mixto quatenus mixtū est; aliter falsum esset eius dictum, quod omne quod corruptitur, corruptatur per putrefactionem. Et si dicas, non datur mixtum uniforme, respondeo quod immo datur: & sic uerificatur propositio de difformi, dicat Gentilis quicquid uelit. Ad aliud argumentū, dico quod argumentum de morte non procedit: nam putredo non opponitur ipsi uitæ, sed generationi naturali & esse mixti. at solū de inanimatis tenet argumentum. Vnde corruptum opponitur quidem genito; sed non uita corruptioni, nec mors generationi; sed generatio corruptioni, & mors uitæ: mors enim est solum in animatis, & in uiuente; & sit à principio intrinseco; & est naturalis, ut bene dixit Auic. in secunda primi. unde si uirtus in uiuente infinita esset, tamen caueri non posset, quin tandem morte naturali periret uiuens: omnia enim uiuentia tandem moriuntur. Et quamuis Gentilis uelit defendere Comm. tamen uno inconuenienti dato mille inconuenientia sequuntur. Auicen. ergo optime tertia primi probat omnia uiuentia ultimo perire, & mori: nec posse quouis modo perpetuari.

D V B I T A T I O XVIII.

Alia dubitatio est de diffinitione putredinis, an sit bene data ab Aristotele, an scilicet habeat omnes conditiones bonæ diffinitionis assignatas in sexto Top. Primo autem arguitur contra diffinitionem, quoniam non uidetur quod sit corruptio caloris innati, quod patet per experientiam & per medicos, quoniam aliquando febricitantes tanto afficiuntur calore, ut cupiant se projicere in puteos & flumina. Itē in secunda particula aphor. Diuin. Hipp. dicit, quod circa septimum diem ueniunt dolores & exacerbations circa horam generationis sanie: tunc enim magis intenditur putredo, & generatur sanies. tunc infirmi clamant & querunt auxilium, quia maximus est aestus, & calores tunc augmentur per experientiā ad iūmum. sed facta sanie remittuntur dolores, ut bene declaratur ibi. Præterea dicitur in diffinitione putredinis, proprij & innati caloris, aut ergo illa duo sunt idem & sunt synonima, uel nō. si sunt synonima, tunc non pertinent ad doctrinam demonstratiuam: usus enim uerborum superfluorum pertinet ad Rethores & poetas, ut patet sexto uel octavo Top. Præterea est argumentum Vgonis, cum enim dicat philosophus, quod calor continentis educit humidum: sit autem educatio humili à calore; quoniam calor extrinsecus extraneat calorem intrinsecum, quod amplius non potest retinere in tuis suum humidum: & hoc modo intellexit Gentilis & Albertus. Contra, ait Vgo, quoniam phlegma uitreum putreficit, & tamen non habet calorem intrinsecum: sed solum intrinsecatum, ut supra audiuitis. Vnde ipse per multas autoritates Auicennę prima quarti, & etiam Galeni nititur probare, quod possit fieri educatio humili ab alio quam à calore: & bene tangit de febribus frigidis, ut lippuria, & epiala, & huiusmodi. uidetur enim quod fiat à cibis frigidis, & ab alijs rebus frigidis; ergo non à calido. Vlterius, dicit philosophus [in uno quoque humido] hic sunt duæ difficultates. Nam haec dictio, in, potest habere uarias expositiones: & quamuis, in, habeat octo interpretationes, ut dicit philosophus

philosophus in quarto phys. hic tamen solū duobus modis sumi potest, scilicet ut dicit habitudinem uel loci ad locatum, uel formæ ad materiam. non primum, quia calor naturalis non est corpus: ergo non est in loco, ergo calor non locatur in humidu. oportet igitur quod intelligatur secundum secundam interpretationem: uel quod humidum solū sit materia caloris, & hoc est falsum, quia eque bene siccum est materia caloris ut humidum: duæ enim sunt passiuæ qualitates, quæ se habent ut materia ad actiuas; immo siccum magis est materia caloris, cum dicatur communiter, siccitatem esse limam caloris, unde & ligna siccata faciliter comburuntur quam uiridia. Alcionius legit [in quoque humido] nostra autem textus habet [in unoquoque humido] sed reddit in idem. Dubium est etiam ex uerbis istis, an sint elementa humida. Cum unus textus dicat [à quoque humido] alter[in unoquoq; humido.] Vlterius dicit ab aliena caliditate. Scitis, quod corruptio est de contrario in contrariū: at caliditas non contrariatur caliditati, cū sint eiusdem speciei ex 10. metaph. quomodo ergo agent inter se mutuo? Vlterius, uidetur quod philosophus melius diceret, ab aliena frigiditate, uel saltem à frigido: quoniam putredo fit ab impotē tia calidi, non potentis continere humidum; ergo fit à uictoria frigidi. ergo cum tota causa putredinis sit, quando calor non potest continere humidum, & fit siccum, immo etiā frigidum, educto scilicet calore simul cum humidu (corpora enim putrefacta remanent siccata & frigida) non bene dicit à caliditate, sed deberet dicere, à frigiditate. Amplius, illa caliditas aliena aut est maior, aut minor, aut æqualis illi naturali, quæ est in mixto. Si est æqualis, aut minor, tunc non agit, ex primo de generatione. si maior, ergo augabit gradum caloris. si æqualis, conseruabit, quoniam conseruatio fit à simili. si autem est minor calor in calido continentis quam in calido innato, tunc, ut dicit Commen. 5. phys. & omnes moderni, minus calidum non agit in magis calidum per gradum caliditatis, sed per gradus frigiditatis in eo existentis. Vlterius, in ultima particula, ubi dicit, quod calor ille est continentis, ut dicit Aristoteles, hoc nō uidetur uerum. Et plusquam Commentator magnificat hanc quæstionem in tertio techni, nam multa putreficiunt ab intra per oppositionem quoniam transpiratio prohibetur, ubi caliditas extrinseca continentis illos humores non attingit: unde & sāpe uidemus in arboribus, in cassia, pyris, pomis & alijs fructibus, quod extra sunt pulcherrimi, tamen intus sunt putridi. Et Chirurgi sāpe in practica coguntur scindere apostemata ubi extrinsecus nil mali appetet; cum uero aperitur caro, tunc inuenitur repleta maxima congerie malorum & putrefactorum humorum. Amplius, quāro cur elixatio & assatio non sit putrefactio proprij & naturalis caloris, cum tamen etiam euaporando exeat calidum ab humido, & relinquantur partes siccæ à calore continentis? Et si dicas, est digestio, ideo non putrefactio; quāro, cur uocetur digestio, non putrefactio. si dicas, quoniam non fit à calore continentis elixatio, sed à calore aquæ circumstantis. contra, quia diuersitas agentis siue efficientis non causat mutationem efficiet ipsius effectus. modo enim res eueniat verbi gratia ad calorem talis gradus, id est modo eueniat idem effectus, siue introducatur ab igne, siue à sole, uel aqua, uel alia re, hoc non est curandum. Nam, si in me introducatur febris ephemera, siue à sole, siue à balneo, siue ab alia causa, modo sit extranea causa, febris semper eadem est. sic, si educatur humidum à calido extrinseco, siue hoc sit ab igne, ut in assatione; siue ab aqua, ut in elixatione; siue à calore continentis ut in putrefactione; & fiat resolutio in quatuor elementa; non sit diuersitas in effectu, cum semper mixtum resoluatur in sua principia. Vlterius, putrefactio opponitur generationi, quia separat elementa. at non ne etiam assatio separat elementa? oculis certe uidemus quod exit pars humida, & pars aerea per uaporem educitur. Vlterius, assata sunt primo humida, secundo siccata: emittuntur enim primo guttæ, & partes etiam comburuntur & fiunt carbones; immo per ulteriorem assationem conuerteretur ultimo in cinerem: idem ergo facit assatio quod faceret adustio & putrefactio: uidetur enim omnes tres illæ corruptiones esse in eadem natura. Hæc sunt argumenta fortia, quæ eo difficiliora mihi uidentur, quoniam nullus ante nos ea tetigit. Sed unum est quod ego in argumento de elixatione omiseram, nam in elixatione etiam resolutur mixtum in sua principia. uidemus enim, quod ex nimia elixatione carnium resoluitur caro

tur caro in minutissima, & uulgo nostra lingua dicitur, il consumato: at nullam hic inuenio differentiam, qua differat a putredine, nisi in continente: quæ tamen differentia nullam ponit diuersitatem in effectu. Ulterius dubito dubitatione non parua, quæ notissima est medicis, & tacta maxime ab Vgone in tertio techni. Cum aliquis habet febrem putridam, an illa ebullitio sit putrefactio, quæ sit in humoribus. putredinis enim diffinitio illi ex toto uidetur conuenire, nam facit materia putrida maximum astum, & est eductio humidi: febricitantes enim maximè sunt macilenti, ut patet experientia: atque ideo omnes partes diffinitionis huic conueniunt, præterquam quod non est à continente. quæ est ergo ratio, ut, quia non sit à continente, non sit putrefactio, cum idem effectus inducatur ab utraque causa? Amplius, est etiam argumentum quod facit Vgo, quoniam aliqui sunt hec tibi tabidi, qui tantum consumuntur ob eam egreditudinem, ut si insufflares in eorum faciem, caderent: an ergo in his sit putrefactio? uidetur certè quod sit, cum sit resolutio proprij humidi ab aliena caliditate. Medici tamen dicunt quod non est: & egregie de hac questione Vgo dubitat. Ultima dubitatio in hac materia est logica, quoniam septimo metaph. & secundo phys. & secundo poster. dicit philosophus, quod diffinitiones naturales dantur per quatuor genera causarum. In secundo autem poster. ubi loquitur de modo demostrandi, & in tertio metaph. habetis hoc expresse, naturalis enim diffinit per omnia genera causarum, dubium ergo est hic, cum hæc diffinitio sit breuissima, an omnia genera causarum in ea contineantur? Alexander Auerr. & philosophi nostri nihil de hac rescriperunt: Medici autem longissimos sermones habent, quoniam plerique morbi oriuntur ex illis putredinibus: Et omnes resarcunt istam diffinitionem, addunt, & limitant. Sed Vgo in illa famosissima questione addit sex conditiones ad hanc diffinitionem. ego autem dicam contra omnes, duas propositiones. prima est, si Aristot. diffinitio est bona, tunc nil est omnino addendum. secunda est, & sequitur ex prima. si aliquid diffinitioni Aristotelis adiunxeris, tunc destruetur tota diffinitio, quod sequitur ex destructione consequentis ad destructionem antecedentis. probo, quoniam ex sexto Top. diffinitio debet esse ita limitata & perfecta, ut nihil omnino possit ei adiungere, uel detrahere, uel transponere: Vgo autem ponit sex, uel septem conditiones super duobus uerbis Aristotelis; fuit enim Aristoteles breuissimus in hac diffinitione, nec possum uidere, si Aristoteles fuit tantus philosophus ut habetur, quomodo necessaria res omiserit in ea diffinitione. dicit enim author sex principiorum, quod forma est compositioni contingens simplici & inuariabili essentia consistens: terminus autem & essentia rei exprimitur per diffinitionem, quæ exprimit formam rei: cum ergo diffinitio exprimat terminum & essentiam rei, non opus est adiungere tot uerba; & limitationes. Certè difficiles sunt dubitationes, & difficultia argumenta, quæ adduximus. Ad defensionem tamen Aristotelis dico, & primo ad primum argumentum, cum arguitur, humores in febribus sunt in putredine, ut in augmento febris & in statu, ut bene dicit Hippocrates secunda particula aph. & tunc est maximus calor: responderem, quod in putrefactione possumus imaginari duplē calorū extraneitatem: primo, quod non corruptitur calor, ita quod amplius non sit calor: semper enim manet calor, sed fit improportionatus ipsi mixto: & nullus gradus caliditatis corruptitur. Secundo quod aliquis gradus caliditatis corruptatur, ut ex illis quatuor unus aut duo corruptantur, & pauciores gradus remaneant. Tunc dico quod in febribus putridis ita corruptitur calor, ut non quidem aliqui gradus caloris deficiant, immo non solum ijdem gradus remanent, sed etiam exempli, cœla, si quatuor gradus sufficiunt ad uitam Socratis in calore, crescunt usque ad secundum gradum, uel sextum, ita ut nullus gradus corruptatur, sed solum intendatur calor, & fiat improportionatus huic mixto: & sic dicerem, quod corruptitur ille calor, quia fit intensior, & improportionatus: & talis corruptio caloris requiritur in omni putrefactione. Ad secundum autem intellectum, quod calor corruptatur in gradibus aliquibus, illa non est necessaria semper. Sed dico, quod in putrefactionis principio, prima corruptio est necessaria, secunda autem est necessaria in fine: nam calor extrinsecus non agit in calorem intrinsecum; sed bene educit humidum intrinsecum, quod est pabulum caloris naturalis: quo facto non potest amplius calor.

calor foueri in ipso mixto: exit enim calor, & fit mixtū frigidum in fine; ideo primo fiunt mixta humida, ultimo autem exsiccantur. quare ad argumentum. in principio fit magnus calor in generatione sanie, & extraneatur, & corruptitur primo modo; ac idem fit improportionatus membro: ultimo autem modo corruptio fit, cum aut mors, aut declinatio est: unde ultimo aut apostema rumpitur, & exit materia saniosa; aut resoluitur, & manet locus depauperatus illo calore. Cum enim apostema rumpitur, & fit exitura, uel resoluitur materia apostematis, tunc renouetur etiam calor. Ad secundum argumentum dico, quod ea duo uerba non sunt synonima: nec expono, ut quidam latini, proprius & naturalis, id est quod unum sit expositio alterius; sed dico quod proprius & naturalis calor non sunt idem. proprius enim dicitur ad differentiam extrinseci, & artificialis. Vnde si aliquis eset calefactus à Sole uel alia extrinseca causa, tunc ad destructionē illius non sequitur putredo; sed potius sanitatis inductio. Dicit autem, innati, quoniam ut bene dixit Alexander, non quodlibet agit in quodlibet, nec conuenit cuilibet unus calor; sed alius calor conuenit uni mixto, alius alteri, alius cholericu, & alius phlegmatico. Vnde Auic. prima primi cap. de complexionibus dicit, quod quilibet mixtura habet proprium & innatum calorem, qui sibi est conueniens: & quilibet res habet proprium, & innatum calorem. Dicit ergo, proprium, ad differentiam accidentalis, quoniam non est destructionis calor accidentalis, sed proprij naturalis autem, quia alius conuenit secundum naturam uni, ut Indo; alius alteri, ut Gallo. Ad aliud dubium Vgonis, cum ait phlegma uitreum putredio est uia qua demum corruptitur substantia: non enim fit corruptio mixti in accidenti, sed in substantia. omnes autem philosophi & Medici conueniunt in hoc, quod forma mixti producitur à calore, qui retinet elementa. Et unicuique mixto calor inest intrinsecus, à quo conseruatur, & sine quo esse non potest id quod est. si ergo putredo debet introduci, oportet ut amplius caliditas illius mixti partes retinere non possit, quæ conseruant mixtum. atque ita oportet ut corruptatur illa caliditas, & extraneatur, & reddatur impotens ad retinendum illa quæ miscentur. Quare dixerunt Gentilis & Albertus multo melius qd Vgo. & licet caliditas extrinseca multum iuuet ad hoc ut fiat putredo, tamen phlegma uitreum, licet calefiat, nunquam putrefacet, nisi substantia, quæ est forma eius quod est mixtum, & est compositum, destruatur, extraneato calore naturali, qui mixti partes continet adiuicem: quo extraneat demum resoluitur in illa, ex quibus fuit compositum. Ad aliud, in quo dicitur qd in unoquoque humido &c. p. dixi tunc, quod licet qd in p. multas habeat significaciones, ut dicitur quarto phys. tractatu de loco: hic tamen possunt illi conuenire solum duæ: aut enim dicit habitudinem loci ad locatum, aut formæ ad materiam: sed prima habitudo sibi non conuenit, quia calor non est corpus: ergo solum secunda. Sed instas quod philosophus meminit solum de humido, & non de fice, & frigido. Dico ad hæc, quod dicit utrunque habitudinem, & loci ad locatum, & formæ ad materiam: primam tamen dicit impropriè. Vnde notandum, quod aliquando calor sumitur pro corpore calido, ut uult Galenus intellexisse Hippocr. prima particula aphor. ubi dicit. Qui crescent plurimum habent calorem innatum. ibi enim calor sumitur pro corpore calido. & hoc modo sumendo calorem potest illi conuenire prima habitudo, quæ est loci ad locatum. hæc tamen non multum propriè illi conuenit, sed magis propriè sibi conuenit secunda, scilicet habitudo formæ ad materiam. Dico ergo quod hoc attribuitur humido plusquam sicco. primo, quia putrida sunt primo humida, deinde sicca in fine. licet enim utrumque sit materia caloris; tamen calor magis nutritur humido quam sicco: & humidum est materia caloris, quo pascitur & sustentatur, quo deficiente caliditas deperditur. Secundo dico (& hoc magis credo) quod ponitur ad differentiam assationis: licet enim in assatione fiat adustio calidi naturalis; non tamen illa ita sit, ut torrefactum fiat humidum: sed fit siccum. putridum autem fit humidum, id enim patet sensu, quod primo putrefactum fit totum humidum. in torrefactis autem & adustis, humiditas cum primum exit, statim est adusta & consumpta. Ad aliud argumentum, cum dicitur qd in unoquoque humido p. respōdeo quod quodlibet mixtum habet duplex humidū:

unum est humidum continuatum, aliud superfluum: ut homo pinguis habet multum de humido superfluo, & illud in ægritudinibus consumitur, & in illo non fit propriè putredo, de qua hic loquitur philosophus. aliud est intrinsecum, & continuans partes mixti ad inuicem: & in illo fit propriè putredo. Cum autem ambo ista humida corrumpuntur, tunc conuertitur res in cinerem. Ad sextum dubium, cum dicit ab aliena caliditate, & est hic duplex argumentum, primum est commune, quoniam corruptio est à contrario, caliditas autem calidi non contrariatur, ergo natius calor non contrariatur nec corruptitur ab extra. secundum argumentum est nostrum, quoniam si ideo fit putredo, quod calor naturalis corruptitur; cur non potius à frigido, quam à calido? id est si corruptetur calor naturalis à frigido, quare illa corruptio non dicatur putredo, cum tamen frigidum sit aptius ad corruptendum calorem, quam calidum? Dico ad primum secundum sententiam Ari stotelis in libro de longitudine & breuitate uitæ, quod calidum duobus modis corrupti tur, primo per se, à suo contrario, ut calidum à frigido: secundo per accidens; non à contrario, sed ab aliquo alio; ueluti cum ad corruptionem subiecti necesse est etiam accidens in eo fundatum corrupti. Hoc pacto maior ignis corruptit minorē ignem, quia auferit maior ignis minori pabulum & alimentum, & ideo corruptitur per accidens. sic ergo calor nunquam per se corruptitur à calore, cum sint similia in specie: sed unus potius auget intenditque alium. ideo si calor agit in calorem; hoc non fit in quantum calor; sed inquā tum uni calori est admixta frigiditas: nam contraria. 10. metaph. sunt diuersarum spe cierum: Dico etiā quod calor dupliciter corruptitur: uno modo, quia remittitur in calore: secundo modo quia disproportionatus fit mixto à calore continentis, non quia corrū patur gradus aliquis caloris naturalis. exépli gratia, æstate, cum carnes putrefiunt, nō cor ruptitur aliquis gradus caloris intrinseci ipsarum carnium; immo magis intenditur, & acceditur à calore continentis aeris feruidi; sed, quia disproportionatus est illi mixto, sci licet formæ carnium; ideo corruptitur calor, & putrefit; educitur enim humidum, & cef sat caro esse caro; hæc autem corruptio, per accidens est à calido, cum omne quod corrū pitur per se, corruptitur à contrario. Quare non corruptitur hic calor per se, cum non corruptatur calor absolute, quia calor est, sed calor carnis. nempe quia non habet amplius illam proportionem, qua aptus sit retinere simul quatuor elementa sub ea mixtione simul coacta & unita, in qua possit consistere forma illius mixti, scilicet carnis. Ad secun dum dico, quod ad hoc, quod res putrescant, ut dicit philosophus in tex. oportet quod humectentur, & humidum continuatum educatur. hoc autem non potest fieri à frigido, cum frigidum non dissoluat, sed potius uniat res ad inuicem, & strictas teneat: calidum uero aptum est facere han liquefactionem: ideo oportet, quod fiat putredo à calido, quia aliter non educeretur humidum. oportet autem etiam, quod illud calidum sit extrinsecū mixto, eadem ratione, quia aliter non educeretur humidū. Quare si arguas, oportet cor rumpi natuum calorem. Concedo. Sed non corruptitur, nisi à frigido. Verum est per se: hic autem debet fieri corruptio per accidens, ut per extractionem huimidi fiat illa corruptio: illa autem facta, caliditas etiam corruptitur ad corruptionem subiecti, per accidens, scilicet, non per se: nullum enim agens est aptum ad educendum calorem intrinsecum cū humido suo ad extra, quam calidum. frigidum nanque non extraheret, sed compingeret; ideo putredo solum fieri potest à calido extrinseco. Ad illud argumentum, ubi est illa dubitatio communis, quare est quod à sola caliditate continentis fiat putrefactio. & facit hanc dubitationem etiam Trusianus in tertio techni, comm. 8. & Gentilis in prima quarti, & omnes Latini in hoc dubitarunt, uidemus enim à medicis & maxime ab Auicen. prima quarti, & Gal. dictum, quod in tempore frigidissimo fiant putredines, & febres tertianæ, & huiusmodi: & tamen non fiant à continentis, cum tunc non sint calores intensi in aere, sed sit maximum frigus. & præterea nos uidemus multa putrescere, quæ ab aere ex trinseco non attinguntur, ut fructus & castaneæ. sed & medici quoque ac chirurgi sæpe paruum partem carnis putridam remouent, ne contagione inficiatur tota caro, & induca tur putredo in proximam partem, quæ tamen non inducitur ab aere. adde etiam quod sæ pe ligna intus sunt putrida, quæ ab extra sana uidentur. Hæc difficultas est maxime gra uis.

uis. Moderni & medici facile saluant, se in hac re, quoniam magna pars morborum de pendet ab aere. dicit autem Trusianus, quod omnis putredo fit à caliditate continentis: sed putredo duplicitur fit, uno quidem modo ut ponit philosophus: secundo, ex oppilatione, quando non potest fieri transpiratio, & humores ebulliunt, & intenduntur in calore. primam ponit Aristoteles, secundam uero medici ponunt, & non est posita ab Aristotele. & hæc est causa morborum multorum, de quibus medici. causa ergo quam ponit Aristoteles ipsius putredinis, non est adæquata ipsi putredini, absolutè in sua uniuersalitate; sed ambæ simul. Pro Aristotele autem responderet Trusianus, si dicas eum insufficiëtem, quod Aristot. bene dixit ad bonum intellectum: quia intellexit ut in pluribus ita fieri putredi nem, non semper. Vnde ex uerborum, dicta Aristotelis, essent falsa: sed mens eius est uera. quoniam plus contingit quod fiat putrefactio eo modo, scilicet à continente, quam ab oppilatione. & communiter omnes medici, in hoc sequuntur Trusianum. Ego tamen non probo hanc responsionem, nec improbo. sed dubito circa eam. Nam quis scit, quoties fiat hæc aut illa putrefactio? uidemus enim plures homines interire morbis ex gula, & crapula, ex qua fiunt putredines illæ, de quibus loquuntur medici, quam morte natura li, quæ est putredo in uia Aristotelis. Secundo mirabile mihi uidetur, tantum philosophū quantus fuit Aristoteles, dedisse diffinitionem quæ non conueniat omni contento sub diffinito. Ego igitur aliter responderem ad hoc dubium, & dicere quod diffinitio est universalis. pono autem unum, quod notum est omnibus philosophis: quod scilicet omnis alteratio, siue omne quod alteratur, alteratur ab extrinseco, nunquam autem ab intrinseco, contra Plusquam Comment. ideo omne quod frigescit aut calefacit, illud alteratur ab extrinseco. primo enim de generatione, & secundo phys. omne, quod agit, agit per contractum. ideo dico, quod putredo fit à continente calido, à quo mutatur. non dico autem præcisè aere, uel aqua; sed continente corporis circumstantis, & tangentis ipsum corpus, quod debet putrefieri. Sunt fumi uaporosi multi in nostro corpore: hi querunt exitum, quem si non inueniant, reperiuntur intro, retenti habent se ut tangens ad contractum, respectu illius quod ab eis calefit, & ita sunt quodammodo continens, circumstans, & extrinsecum ei; sicut manus sinistra tangens dextram & eam calefaciens, ei est extrinseca: nam agens loco & situ distinguitur à passo. Per hoc ergo soluuntur omnia argumenta pos sibilia adduci: illi enim fumi uaporosi, licet non sint continens uerum ut esset aer, ramen habent se loco aeris. Verum tamen est, quod hæc responsio non uidetur ex toto satisfacere, sed uidetur parti eandem instantiam, quam prima: quia Aristoteles dicit in tex. [Vt aer & aqua] & in libro de animalibus dicit, quod ignis non uerè continet, sed quod hoc so lum conuenit aeri & aquæ. Respondere tamen possemus, quod nominavit hæc solum, ut famosiora: non ea ratione, qua excluderet alia. Verū alia est responsio, quæ mihi magis uidetur ingeniosa quam uera, uolendo saluare & semper putredo fiat à uero continente. s. ae re uel aqua. Dico quod semper fit putredo à uero continente. Et quando arguis putredo fit in hydine gelida. Dico secundum Aristotelem in libro de respir. & insp. quod omnia animalia sunt porosa. in illis enim quæ respirant, ingreditur halitus per os & nares, & 40 etiam per poros totius corporis: in illis autem quæ uiuunt in aqua, per poros ingreditur aqua: & fumi reperiunt calefacti illam aerem, qui ingressus est ab extra: unde illi fumi non potentes exire supercalefacti aerem, & ille aer sic calefactus inducit putrefactionem: ideo illa putrefactio est à continente, scilicet aere extrinseco subin grediente. Quod si dicas, quomodo est possibile quod aer tam parvus sub ingrediē possit putrefacere animal? Respondeo & non est mirū hoc considerando alios effectus naturæ. nam ad experientiam uidemus sæpe cum aliquod uas uini plenum non est, etiam si deficiat solius cyathi mensura, uinum corrupti. unde boni Aromatarij ad conseruationem fructuum suorum, sicut in succo granatorum, superinfundunt oleum, ne succi illi attingantur ab aere, quoniam fumi in succis eleuati calefacti aerem, qui postea inducit 50 putredinem in mixto. Ad argumentum de castanea & fructibus intus putridis: dico quod castanea est ualde uentosa, sic etiam cassia lignea, horum ergo fumi eleuati calefacti aerem extrinsecum ingredientem per poros, & sic putrefiunt. Ad aliud de uulneri-

bus & carne putrefacta, dico quod caro putrida inducit dispositionem suam malam in partes sibi uicinas, sed non putredinem: aer autem extrinsecus contingens est ille qui inducit putredinem, & uere putrefacit. An ista solutio sit bona, ego non assero. sed cum hac forte possumus euadere argumēta. Sed erat præterea alia dubitatio, quare assatio non est putrefactio, similiter combustio, & alia huiusmodi? Ad hoc respondet Alexander in sua expositione, quod assatio est in sicco, putredo autem est in humido. Sed hæc responsio non uidetur satisfacere, quid enim respondebitis ad elixationem, quæ est in humido & non in sicco? & tamen elixata non sunt putrefacta: alioqui enim omnes comedendo res elixatas comedemus res putridas. Adde quod, ut dicet infra philosophus, elixatio & assatio sunt digestiones: ergo non putrefactiones; cum repugnant. Quod si dicas has non fieri à continente, hoc etiam non satisfacit, quoniam inestate aliquando sudamus propter calorem qui est in continente aere: & propterea fit a continente; & hoc est in humido, non in sicco; tamen sudatio non est putrefactio. Ego antea dixi uobis, quod mirum est, quod faciat magis calor continentis in putrefactionem quam calor alterius suppletis uicem illius, cum diuersitas agentis non uariet actionem, si modo omni ex parte similis effectus inducatur. Quare ad hoc dicerem, quod cum ait Aristoteles. Hæc sunt in quæ continentur, non intelligit solum de aere nos continente: cum, siue hoc quod inducit putredinem, sit continens, siue non continens, modo sit idem modus agendi, producat eundem effectum, & eodem modo, quo hoc faceret continens uerum. sed in affectione non est idem modus agendi: neque fit eodem modo actio, sicut ab aere. quando enim aer educit humidum intrinsecum mixti in putrefactione, hoc fit successione, & paulatina mutatione: sed assatio fit repente à caliditate ignea, quoniam est digestio in sicco, ut dicit Arist. in tex. Vnde si eo modo ageret, tunc esset putredo. Elixatio etiam habet aliud modum agendi, namque humidum extrinsecum intrat poros & abluit, & est lotio uehemens & maxima humectatio; sed in putredine fit paulatina actio; ideo non est similis modus agendi. Et si dicas, quid facit modus agendi ad diuersificandum effectum? Dico quod multum facit. uidetis medicos aliquando iubere ut fiat coctio cum lento igne, aliquando cum multo igne, aliquando ut bulliant ad consumptionem medietatis, aliquando ut agitetur cum baculo. & multi sciunt elixare, pauci uero assare. Et præterea dicit infra Aristoteles, quod in affectione & elixatione sunt violenti modi agendi, & non moderati, ut in putrefactione. sic ergo mihi uidetur respondendum. Supereft nunc ut respondeam ad alias dubitationes, & maxime ad unam quæ est mota ab Vgone, non infirma. quoniam, in pурredinibus extrahitur calor naturalis ab aliena caliditate: & talis est putrefactio, quæ fit in febribus. Ad hoc uidetur respondendum, quod primus motus siue prima mutatio est adustio, non autem putrefactio. Dicit Hippocrates in aphor. Humidæ dietæ conueniunt omnibus febricitantibus, sunt autem ut dicit ibi Galenus in commento præter quatuor genera febrium humoratum etiam alię febres in spiritibus & solidis, non in humoribus, ut Ephemeræ & hec tice his uero omnibus conuenit dieta humida, inquantu febres sunt, quoniam calor est igneus, contraria autem contrarijs curantur: & quia adustio est calidi & siccii: primus enim modus calidi & siccii est adure. Quare bene dicunt medici, licet hi febricitent, tamen non propriè putrefieri, sed aduri. licet ergo hec tice sit febris, non tamen est prima operatio in illa febre ipsa putrefactio, sed adustio. quoniam tamen calor extraneus corruptio intrinsecum, ideo etiam non est sine putredine. sed multæ quoque partes & communiter extrinsecæ circa carnem putrefiunt. & cum humores & humidum innatum non reguletur à calore debito, præterea in his etiam multi humores putrefiunt.

D V B I T A T I O XIX.

Alia dubitatio, cum animal nutritur, ut homo, si debeat fieri nutritio, oportet pone-
re panem, uinum, & cibum aliquando corrupti, & fieri chylum, & inde quatuor
humores generari: An ergo illa corruptio panis & alimenti sit putrefactio? Hæc certè est
dubitatio

dubitatio necessaria & ualde curiosa, ideo non multiplicabo uerba recitando dicta aliorum. Pono autem primo, quod intelligitur in homine habente digestionem sanam & stomachū sanum. nam in digestione debili & stomacho debili generantur multæ putredines, & eruptions. Tunc dico, saluo meliori iudicio, & quando animal nutritur, si non omnes, saltem aliquæ partes putrefiunt, in stomacho enim nostro cōtinuè generantur putredines, cum ad ipsum uenient uarij cibi, in quibus fit ebullitio & decoctio. & non semper tota pars conuertitur in cibum & alimentum bonum; sed aliquid superfluit, & aliquid non: fæces enim sunt putredines: illa uero pars quæ fit alimentum, non putreficit, sed digeritur, aut maturatione aut elixatione (credo enim in stomacho fieri digestiones per eli-
xationem uel affationem: fit tamen quomodo cunctæ, quoniam quatuor sunt species concoctionis) corruptitur ergo cibus, & corruptio cibi est putrefactio: sed partes fæcales mea sententia putrefiunt. Quod si arguas, Gal. & alij medici dicunt hominem inculpatè sanum, in quo nulla pars putreficit, nec habet putredinem in corpore suo. Dico quod uerū est, quod in parte illa, quæ debet nutrire, & in loco ubi non debet esse putredo, ibi nulla putredo generatur in sanis nec generari debet. sed fæces, & alia loca ubi debet fieri putredo, non arguūt quicquam; cum in intestinis necessario fiat putredo, si homo debet esse sanus. in alijs tamen locis, quæ non sunt loca superfluitatum, non debet generari putredo aliqua in corpore sano. & sic credo intelligi debere de mente medicorum. Fit autem haec diuersitas, quod una pars ciborum conuertitur in putredinem, alia non, ex diuersitate te passi. in simplex enim non cadit sequestratio, sed solum in mixtum, & compositum. & ideo in tota massa cibi sunt partes aliter & aliter dispositæ: & agens aliter agit in una parte quam in alia. propterea fiunt multæ digestiones, & multæ etiam indigestiones. & si cut in prima digestione dixi, quæ fit in stomacho; sic etiam dicendum in secunda, quæ fit in hepate: non tamen quod humores quatuor sunt putredines: licet unus humor ad aliud comparando sit magis uel minus decoctus, & crudior uel minus crudi.

D V B I T A T I O XX.

Alia dubitatio, quando generatur aliquid ex aliquo, num semper generationem præcedat putrefactio? Dico, non tamen affirmando, quod quandocunque aliquid simplex generatur, tunc si aliquid corruptitur quod sit simplex, non putreficietur. cum nullum simplex uere simplex possit putrefieri. est enim putrefactio passio mixtorum, & nullo modo simplicium. Vnde si simplex generatur ex alio simplici; tunc illud simplex, ex quo generatur aliud, de necessitate corruptitur, quoniam generatio unius necessario est cum corruptione alterius. sed tamen non potest corrupti corruptione illa, quæ dicitur putrefactio, cum nullum uerū simplex putrefieri possit. quomodo enim illa tria elementa putrefiunt, audistis: & quando aliquid generatur ex mixto. Est uero difficultas, an omnem mixtum, ex quo generatur aliud, necessario prius putreficietur. uidetur enim calor in aliis quibus reperiatur maturans, & in aliquibus assans. uellem autem scire, si generatur frumentum & faba, an granum quod prius seminatum fuit, necessario putrefiat? Ego certe credo quod non; teneo enim non esse necessarium, ut semper, cum ex mixto fiat aliud, primum mixtum putrefiat, ex quo generatur nouum mixtum. potest enim fieri ex alio aut affatione, aut elixatione, aut alia specie digestionis, & alia generantur ex putrefactis, alia alio modo; sola tamen ea dicitur putrefactio, ubi aliquid generatur ex continente difsoluente humidum in priori mixto, & extraneante calidum intrinsecum; ita quod fiat difsolutio mixti in sua principia, quæ sunt quatuor elementa.

D V B I T A T I O XXI.

Aliud dubium, quod fuerat etiam in superioribus excitatum, sed non solutum. An diffinitio putredinis contineat in se omnia genera causarum. Breuibus dico, quod sic, quia aliena caliditas est causa effectiva: causa autem formalis est modus agendi, siue modus

Petri Pomponatii dubitationes

modus se habendi, aliter enim non possumus describere causam formalem: materia uero tangitur, cum dicit [in unoquoq; humido]: finis autem intrinsecus coincidit in natura libus cum forma, ut sepe uidemus: extrinsecus autem finis est utilitas, quam afferit putredo; nam multa animalia generantur ex putredine, ut anguillæ multæ, & aliqua genera piscium. Quare putredo semper ordinatur in aliquod aliud. Et licet secundum Auer. nō videatur habere uel finem, uel utilitatem: Ego tamen credo nihil in mundo esse, quod nō habeat finem mediatum, uel immediatum.

D V B I T A T I O XXI.

Aliud dubium, quoniam post diffinitionem putredinis Aristoteles dicit, quod putredo est effectus calidi, & frigidi, caliditatis propriæ & frigiditatis alienæ. hoc autem uidetur esse impossibile. quoniam aut ambo erunt causæ in eodem genere causæ, aut in alio, quæcunque enim concurrunt ad eundem effectum, aut sunt in eodem genere causæ, aut in alio, & alio. Sed nullum illorum hic potest dici. Non in uno genere, quoniam si oportet ut putredo fiat effectuè à calido, non ergo à frigido; quoniam contriarum causarum, contrarij sunt effectus, & è contra. nec etiam in diuersis generibus causarum, quia Aristoteles æquiuocaret: nec uidetur cuius generis causæ effet frigiditas, si non effet efficiens, nec materia, nec forma, nec finis. Vgo in tertio techni in quæstione magna, uult quod sit in genere causæ efficientis: & citat Auer. in tertio coll. & in hoc quarto libro, licet hunc Hebreus Iacob dicat, quod non est Auerrois, sed cuiusdam eius discipuli, sit autem quomodounque, hæc est maxima dementia. Aliqui dicunt Vgonem facere hanc quæstionem in prima quarti, & ibi aliter sentire: sed ego eum locum non uidi. Vnum est, quod dicunt isti uiri Auer. & Vgo, quod à frigido fit putrefactio propter defectum caloris, ut in hyenie & maximis frigoribus, quando membra stupefiant: sed tamen, licet fiat mediate à frigore, immediatae tamen fit à calore: per frigus enim circumstans clauduntur pori, & calor intenditur, ut in manu stupefacta, quæ stupefit à frigiditate & putreficit; non tamen frigiditas est, quæ immediatae faciat putredinem: sed tantum tanquam causa remota, non propinqua; cum causa proxima putredinis sit ipsa caliditas, quæ est causa per se: frigiditas uero est causa per accidens. Ego tamen dico, quod Auer. & Vgo, salua eorum pace, maxime errant, & non intelligunt mentem philosophi. Ipsi quidem uerum dicunt, quod aliquando sic fit putrefactio, sed hoc non uult Aristoteles hoc in loco: dicit enim philosophus, quod extraneatione caloris naturalis fit calor inhabilis ad retinendum humorum; qui cum exierit, & humectauerit putrefactum ab extra, tunc remanet corpus frigidum, & siccum in fine, ablato humore, qui erat sedes ipsius caliditatis: nam frigus est intra ipsum corpus putrefactum; sed calor putrescens est ex trinsecus corpori. putrefactio enim est passio caliditatis alienæ, & frigiditatis propriæ, sive intrinsecæ: ut in senio, deficiente calido remanet corpus frigidum: aut ratione senij; aut nimio coitu; aut causa infirmitatum: sed naturalis frigiditas propriæ accedit in senio. Omnes ergo isti seducuntur ab Auerroe, qui dicit putredinem fieri à frigido, quoniam frigus circumstans corpus intendit calorem intrinsecum, sive innatum, qui intrinsecus est causa putredinis in mixto: quæ tamen non est mens Aristotelis. Auerroem ego excuso, quoniam habuit textus corruptos. Sed inculpandi sunt Latini, qui meliores textus habent, & clariores. Nanque Aristoteles dicit expressè, quod in principio corpora illa sunt passa à calido extrinseco, quod educit humidum: ideo in principio est effectus calidi, & humidi, ipsa putrefactio; in fine autem frigidi, & sicci, quoniam remanent corpora frigida, & sicca, & reducuntur ad incinerationem. & hoc est quod uoluit Aristoteles, cum dixit quod omnia putrefacta tandem fiunt cineres. Ad argumentum autem dico, quod sunt causæ putredinis in eodem genere causæ. Sed cum arguis, contraria non causant eundem effectum. Dico etiam hoc non esse inconueniens, eundem effectū causari à causis contrarijs, etiam in eodem genere causæ: cum hoc fiat in alio tempore, uel alio & alio modo: nam in fine causatur à frigido, in principio à calido.

D V B I -

in quartum Meteor. Arist. 17

D V B I T A T I O XXIII.

Alia dubitatio, an sicut omnis naturalis corruptio est putrefactio, sic etiam omnis putrefactio sit corruptio naturalis. Superius, si recordamini, dixi secundum Albertū & omnes, quomodo putrefactio sit corruptio naturalis. Ergo, qui uolunt quod sit naturalis, & quod non extranca id est quia non sit ab extrinseco, tenentur dicere, quod omnis etiam putrefactio est corruptio naturalis. & quod omnis corruptio naturalis est etiam putrefactio. & necessario secundum eos illa duo conuertuntur, ut tenent illi medici. Ego tamen credo eam opinionem esse omnino falsam. Vgo uero in prima quarti dat hanc responsionem, quod non dicatur naturalis, quoniam fiat à principio intrinseco, uel non intrinseco; sed naturalis, quia fiat secundum communem cursum naturæ. sic accepi à quibusdam Vgonem hanc responsionem tenere, in qua solus esse mihi uidebar. Quare mihi uidetur dictum Aristotelis sic intelligendum; quod omnia mixta relicta suæ naturæ corrumpantur tandem per putrefactionem.

D V B I T A T I O XXIII.

Alia est dubitatio. Dicit Aristoteles generationem fieri, cum qualitates actiuae dominantur passiuis, corruptionem uero cum passiuae dominantur actiuis. Hoc non uidetur esse uerum præsuppositis ijs, quæ sunt notissima apud peri pateticos; quoniam generatio unius est corruptio alterius, & è conuerso; nam si corruptio homo, fit sanguis menstruus, sic etiam corrupto sanguine menstruo generatur homo: ergo qualitates actiuae, & passiuae, simul & semel dominabuntur in eodem, respectu eiusdem: quod uidetur absurdum & impossibile. nam si ex sanguine menstruo generatur homo, tunc necessario sanguis menstruus corruptio, & homo generatur. In eadem enim materia fit corruptio formæ sanguinis menstrui, & generatio nouæ formæ, sive introductio formæ humanæ. ad corruptionem autem requiritur dominium actiuarum super passiucas: ergo in eodem dominantur actiuae & passiuae respectu eiusdem. Quanquam ex nostris lectionibus superioribus huius quarti potest patere responsio ad hoc argumentum. Respondeo tamen nunc, quod actiucas dominari passiuis, non est uincere in intentione graduali, ut quidam indocti sibi persuadent; aliter enim argumentum demonstraret, nec posset aliquo pacto solvi. sed ita intelligitur hoc dominium, ut actiuae possint retinere passiucas in mixto, & regulare eas, ut nulla ex illis corruptio, sed remaneant omnes concorditer in eodem, & retineant formam mixti. cum uero passiuae dominantur, tunc non retinentur ab actiuis, sed passiuae effluunt. Ad argumentum ergo, menstruum corruptio, & passiuae dominantur. verum est, quod passiuae dominantur, quia actiuae sanguinis menstrui, quæ fuerunt aptæ retinere formam sanguinis menstrui in illo mixto, non possunt illas passiucas amplius retinere, ut remaneat forma menstrui. sed in quantum homo generatur ibi, necessarium est, quod actiuae dominantur suis passiuis: non dico illæ, quæ erant actiuae in sanguine mestruo; quia illa proportio qualitatum, quæ erat in sanguine menstruo, non est apta ad retinendum formam hominis; uariata enim est nunc proportio illa, & facta est alia: sed aliae sunt actiuae in homine quam essent actiuae in sanguine menstruo, cum alia requiratur proportio qualitatum in uno mixto, quam in alio, ut superius diximus. Dico ergo quod alia, & alia sunt in his qualitatibus dominia, respectu diuersarum formarum introducendarum. Et hæc mihi uidentur responderi posse ad hoc dubium.

D V B I T A T I O XXIIII.

Aliud dubium, quando Arist. in principio cap. dicit putrefactionem contrariari generationi simpliciter. & dubium est difficile, & ualde subtile, & uisum aliquiliter à Gaietano nostro. philosophus enim dicit, quod putrefactio est universalissimum contrarium generationi; & probat, quia, quod omni generationi contrariatur, & est ultimum in unoquoque

unoquoque genito, hoc est generationi simpliciter contrarium: sed sic est de putredine. ergo &c. Prima propositio est quod de omni generationi contrariatur, & est ultimū in unoquoque genito, hoc maximè contrariatur generationi. nam quod omni, id est uniuersaliter: & quia illi ut extreum extremo contrariatur, ideo maximè: ut superius diximus, nā est contrarietas extremitati ad extreum, & i o. metaph. contraria in eodem genere maximè distant. Minor propositio erat, quod putredo est huiusmodi. probat hanc, quia omnis corruptio, & naturalis interitus est uia in putredinem. sic arguit philosophus in tex. & hoc uidit bene Gaietanus. Est tamen hic dubium: si putredo contrariatur generationi, tūc erit corruptio, cum ex i o. metaph. tantum unum unis sit contrarium. corruptio enim contrariatur generationi: si ergo corruptio est uia in putredinem, & putredo est corruptio: ergo erit 10 uia in corruptionem. sed putredo est corruptio, ergo erit uia in semetipsam: unde erit idē terminus & uia respectu eiusdem. Videns hanc difficultatem Gaietanus dicit, quod est æquiuocatio, cum dicit Aristoteles, quod est uia in corruptionem: tunc enim non intelligit ueram corruptionem, sed deteriorationem quandam, quae est uia in putredinem, ita exponit Gaietanus, omne genus corruptionis deteriorationis in termino corrupto, non pro uera corruptione: senium nanque, auansis, siue ariditas, est deterioration, non autem corruptio uera, deterioration enim mixti non est uera corruptio. Cum autem in alio loco nominat corruptionem, uult significare ueram corruptionem. Dicatum Gaietani mihi uidetur 20 ualde dubium. quoniam, mirum mihi uidetur, quod Aristoteles in tam paucis uerbis utatur æquiuocatione. non dico hoc esse impossibile; sed non uidetur dignum maiestate 25 tanti philosophi in duorum uerborum interuallo, uti æquiuocatione. Magis tamen me urget, quod dicit Gaietanus. Vltra, concedendo, quod quando animal uel planta corruptitur, illa corruptio sit putredo, etiam cum ex ariditate corruptitur. illud tamen (licet Alexander in uerbis suis uideatur concedere) non uidetur esse concedendum, quod exitus formæ subitaneus sit putredo, sicut bene Auic. in tertia Fen primi Can. cap. vnico, & Plusquā. Commentator in tertio techni. in illa quæstione de putredine: ubi dicunt, quod illa ariditas non est putredo, sed bene preparat ad putredinem, sicuti, & cum animal moritur, mors ipsa non est putredo, sed bene preparat ad putredinem. Vnde Aristoteles in libro de inspiratione dicit, quod animal expirat moritur, & moritur siccitate. ita, quod partes pectorales sunt ita siccæ, ut amplius non possint moueri: & sic de branchijs piscium. corruptio enim non est putredo, sed separatio animæ à corpore. vnde multæ plantæ moriuntur naturaliter & arescent: & tamen non putrescent. exsiccantur quidem ex se, sed non pereunt putredine, cum ita exsiccatae adhuc durent aliquando per annum uel plus. Et ut Vgo etiam dicit, non est uerum quod mors uiuentis immediate terminetur ad putredinem. licet enim cadauerat putrescant, tamen non ideo sequitur, quod omne mixtum terminet corruptionem suam ad putredinem. Adde quod uidetur philosophus facere insufficientē inductionem, cum dicat solū de senectute & auansi, cum tamē mixta etiam alio modo intereant, quam illo. Ego in hac re, saluo meliori iudicio, credo aliter exponendum textum Aristotelis, & dico, quod generatio, de qua loquitur Aristoteles in hoc loco, est generatio de non ente, de qua idem philosophus multa in libro de generatione: nec loquitur in hoc loco de omni mixto: nam in tribus primis libris loquutus est de mixtis imperfectis; hic uero loquitur de perfectis, & de generatione mixti, qua mixtum est; quæ fit per coniunctionem elementorum, ex eo quod actiua dominantur passiuis: ideo separatio elementorum ex eo est, quod passiua dominantur actiuis in corrupto, quæ corruptio in hoc loco est opposita generationi hic positæ. fit enim generatio in hoc libro, per coniunctionem elementorum; corruptio autem per separationem. & tunc sumendo mixti generationem in uniuersali, id est, ea ratione qua mixtum est, contrariatur maximè putredini: ideo adiungit philosophus quod omnis mors naturalis interitus, id est senectus, & auansi, est uia in putredinem. licet enim senectus & auansi non sint putredines, sunt tamen uiae in putredinem post mortem, nanque animalia uertuntur in cinerem. et plantæ ariditas non est ipsa putredo, sed dicit in putredinem. ita & aliæ corruptiones non sunt putrefactiones, quoniam in eis mixtum non resolutur in quatuor elementa: non enim corruptiuntur alijs corruptionibus

ruptionibus mixta secundum totum, sed solū secundum partem, ideo in eis non fit resolutio in clementia: quare neque etiam uocantur putrefactiones, sed bene sunt uiae in putrefactionem. cum enim anima separatur à corpore, non fit corruptio secundum totum, sed solū fit mors, & animæ separatio, quæ non est omnium elementorum dissolutio. propria autem, & uera corruptio, de qua loquitur in hoc libro, fit per dissolutionem elementorum; ita quod calida, frigida, & humida, & sicca ab inuicem resoluuntur. ariditas enim nō est putredo, sed uia in putredinem, quamvis quædam mixta corrumpantur simpliciter, & secundum se tota; quæ, si resoluuntur in quatuor elementa, non omnis ergo corruptio naturalis est putredo contra Gaietanum. & hoc etiam dicit Vgo, & Auicen. licet argumentū 10 adhuc militet contra nos, quia Aristoteles solū de duobus facit mentionem, de auansi & senio. Ad hos tamen ego adducam solutionem hanc quæ mihi aliquiliter satisfacit. Dico quod ille textus potest dupliciter intelligi, uno modo ut sit ibi punctus, omnis naturalis corruptio. Et hoc quod dicit [senectus & auansi] sit tanquam exemplum prædictorum: & sic non intelligo: quia sic deficiet unum membrum, & argumentum procedit, nisi uellemus dicere, quod subintellexit illud, siue dedit intelligere; quod mihi non placet. secundo potest exponi, [senectus et auansi] id est omne genus naturalis interitus, non absolute. sed illa duo quæ dicuntur senectus, & auansi: ita quod illa duo sint specificatio superioris, non autem loquatur uniuersaliter de omnibus sed solū de istis duobus. tunc enim illa duo sunt uiae in putredinem. Et hæc est solutio pro nunc. forte aliquando occurret alia melior.

D V B I T A T I O X X V .

Aliud dubium; in quo sunt maximæ lites, cum tamen non sint facienda. Aristoteles dicit in fine cap. quod putredo fit ab aliena caliditate. Et in hoc probando, quod propterea in hyeme sunt paucissimæ putredines, quia continens habet tunc minorem caliditatem, quæ non potest agere in calidum innatum, quod tunc est fortius quam calor extrinsecus: minus enim forte non potest agere in fortius. Hoc uidetur afferre dubitationem. nam aqua tepida admixta aquæ feruentissimæ remittit eius feruorem, 30 quod manifestum est per experientiam: ergo uidetur quod minor uirtus agat in maiorem. Et sic tenet Auicen. quinto Cano. & Auerr. quinto Coll. quod medicina calida in primo remittit medicinam calidam in quarto, per admixtionem eius. Dico, quod argumentum est sophisticum, procedit enim ad uerba, non ad sententiam. nam Aristoteles non negaret quod minus frigidum agat in intensius frigidum: sed hoc non propriè & per se; immo ratione alterius, & per accidens. nanque minor caliditas non agit in maiorem ratione sui & per se; sed ratione frigiditatis admixtae, & per accidens. Vnde calidum ut duo, non agit in calidum ut octo per duos gradus caliditatis, sed per gradus frigiditatis, qui sunt uerè in eo ut sex. & ideo argumentum Aristotelis est bonum. in hyeme non fit tanta putredo, quoniam res putrescibilis est intense calida, extrinsecum autem calidum est nimis remissum: ideo non potest agere in ipsum intensum. quoniam si agit, per accidens agit; & non ratione caloris, sed frigiditatis. An autem illi gradus sint ibi formaliter, uel uirtualiter: alij aliter renent. nolo ego pro nunc tractare, quoniam non est ad propositum. de ea autem expositione quam ego dedi super eo loco, dico non posse aliter responderi meo iudicio ad textum Aristotelis.

D V B I T A T I O X X VI .

Circa caput tertium, dubitatio prima est, circa uerba tex. 14. nam ponit philosophus tres species digestionis: posuit etiam tres species cruditatis: insequitur autem digestio calidum, indigestio autem frigidum. Cum autem digestio consistat in temperamento quodam, ut sanitas consistit in adæquatione humorum, quæ fit ex adæquatione qualitatum primarum: sic etiam digestio consistit in adæquatione caloris digerentis. & non

non quilibet calor concoquit, sed solum calor temperatus. quod si hoc non diceret quisquam, pateret tamen sensibus nostris, licet hoc dicat Auerr. Nam poma, pyra, fructus, oua & huiusmodi sunt concocta, quando temperato calore sunt moderata: moderatus autem & temperatus calor consistit in mediocritate quadam; medium autem habet plura contraria ex omni parte, ubi à medio disceditur, & secundum defectum & secundum superabundantiam; sicut etiam dicit Aristoteles in secundo libro Ethic. nam omnes uirtutes morales sunt in medio: & quilibet uirtus duo uitia habet sibi contraria, ut patet per Aristotelem in eo loco, liberalitati enim opponuntur duo uitia. scilicet prodigalitas & auaritia; sic etiam sanitas quae consistit in quadam proportione humorum & mediocritate caliditatis, & frigiditatis, humiditatis, & siccitatis, habet plura extrema opposita; nā multis modis declinamus à medio. & sic ergo uidetur esse in digestione, cum digestio fiat à calido temperato: temperies autem est mediocritas quedam, nam dicit Aristoteles, quod indigestum opponitur digesto. Velim ergo scire, quod fit illud indigestum. aut enim intelligit philosophus quod nimis sit digestum, aut quod imperfecte digestum sive crudum; aut intelligit unum commune utriusque extremo, uel uni tantum. dicit enim quod omnis digestio fit à calido, omnis autem indigestio fit à frigido: si ergo per indigestionem intellexit, solum illud contrarium, quod opponitur digestioni, sicut imperfecte concoctum; tunc fit certe à frigido: sed Aristoteles erit diminutus, quia relinquet aliud membrum, quando s. nimirum paritur caliditatem, ut non sit uera concoctio propter excessum in calidis. si ergo intelligit per indigestum solum diminute coctum sive crudum, tunc erit diminutus, quia omisit unum contrarium: si uero intelligat aliquod commune, tunc est falsus Aristoteles: quia falsum est quod indigestio per excessum caloris fiat à frigido, cum apertum sit illam fieri à calido. Contra etiam secundum dictum, cum Aristoteles cuilibet speciei digestionis assignauit unum contrarium. omnis species digestionis digestio est: digestio autem medium est, non extreum. at uni medio plura extrema opponuntur, cum plures sint uiae à medio flectendi. ergo cuique digestionis speciei opponentur plures species indigestionis, non autem una. argumentum enim est satis clarum. Vlterius philosophus dicit, quod fructus primo sunt frigidi, secundo sunt maturi & concocti, tertio sunt putridi & marcescunt: ergo non solum cruditas, sed etiam marcedo sive putredo contrariantur ueræ concoctioni. Vlterius, in elixatione primo est cruditas, deinde concoctio per elixationem, tertio consumptio. & asfatio est digestio, & habet cruditatem, et habet etiam adustionem opposita. Vos aperte uidetis dubitationem, ego autem non video solutionem, nisi unam duarum, quarum neutra mihi satisfacit. prima est, quod digestionem accipit, non strictissime, pro illo temperamento caloris quod est in medio illorum extremitatum; sed pro illa alteratione quae etiam includit alterum extreum. scilicet per abundantiam caloris, aut adustionem uidelicet, aut consumptionem, ita quod caro affalet digestio, & etiam caro adusta in carbonem: & eodem modo per digestam elixationem intelligamus tam consumatam quam elixitam, similiter & maturam rem & putridam: atq; ita philosophus intelligit per indigestum illud tantum contrarium, quod declinat ad frigidum. Verum stante hac solutione, ruunt omnes expositiones Græcorum & Latinorum. immo etiam Alexandri, qui tamen est maximus philosophus. omnes enim uolunt Aristotelem intellexisse per digestionem medium quoddam, & eam quae fit à temperato calore; neque inclidere illud extreum quod abundat. hoc idem habetis ex Aristotele: ponit enim ipse quod superfluitates ut urina, sterlus, sanies & huiusmodi recipient digestiō. at urina non dicitur digesta cum est diminutè concocta, ut quando est alba & cruda, nec dicitur digesta quando est nimis tincta uel nigra uel rubra: sic fæces & alia multa: sed ad hoc ut hæc dicatur concocta, requiritur quod passa sint à mediocri calore & temperato. Item dicit philosophus, quod difficilius est assare quam elixare, quia in assatione requiritur calor ualde temperatus, ne res quae assatione concoqui debet, comburatur; in elixatione autem hæc difficultas non accedit, sed modo adhibeat ignis, sufficiet: in assandis autem operari, quod philosophus non intellexit hoc modo, sed uoluerit illud medium habere duo extrema.

extrema. loquitur autem de illo tantum, quod erat magis notum, non negando alterum. & hæc responsio magis tolerabilis est. Sed tamen sic excusando Aristotelem uidemur magis ipsum accusare: quoniam in ethicis loquens de medijs, quibus opponuntur plura extrema, Aristoteles nominat ea & media & extrema. Certè ego non habeo meliorem responsem, si hæc uobis non satisfaciant.

D V B I T A T I O XXVII.

Alia dubitatio, quoniam in eodem textu 14. dicit Aristoteles, quod digestio est perfectio à calido, ex oppositis passiis. Primo uidetur, quod non sit perfectio, sed imperfectio: ergo &c. Quod non sit perfectio, probatur, quia digestio potest esse putrefactio: sed putrefactio est imperfectio. probatur hoc per Aristotelem in textu, qui dicit, quod digesta dicuntur ea, quae, aut maturationem, aut assationem, aut elixationem sunt passa, aut putrefacta. Si ergo putrefacta dicuntur, quae putrefactionem sunt passa; putrefactio autem est imperfectio: ergo &c. Vlterius dicit in diffinitione, quod fit à caliditate. Contra. multæ digestiones fiunt à frigido. Probatur, hoc per experientiam; nam medici in febribus ardentissimis ut causone & similibus, exhibent syrups digestiuos appropriatos, qui communiter sunt frigi; aliquando quidem virtualiter solum frigidos, cum febris non est a deo intensa; sed in febre intensissima etiam acti frigidos, ut syrupum de endiuia, acetosa, & huiusmodi cum aquis frigidis, ut aqua endiuia, acetosa, portulacea. Immò aliquando utuntur aqua simplici frigidissima, cum febris astuat tempore astiuo, & uirtute firmiore ipsius infirmi consentiente; ut habetur prima quarti ab Auic. & etiam in alijs locis. & tamē his remedijis digeritur materia, ut dicunt medici, & experientia docet; quoniam postea ægri conualescunt. Præterea uidemus multos fructus digeri solum à frigido, ut poma, quae in patria mea non fiunt dulcia, nisi postquam senserint frigus: & sorba etiā fiunt in hoc genere: sic etiam multæ uix non maturantur, nisi postquam senserint frigus. Probatur etiā hoc, quia digestio est perfectio, quae consistit in temperato. accipiatur ergo res aliqua bene disposita in intemperatura actiuarum, & passiuarum qualitatum: & labatur mixtum illud in actiuis tantum: (licet aliqui teneant non posse fieri lapsus, quod pro nunc non dicitur) lapsus igitur fit hoc mixtum in calido, gratia exempli, ut si requiratur gradus duo tantum, pro temperamento sive mixtionis, sit tamen deductum usque ad caliditatem ut sex: tunc, si debet reduci ad suam propriam temperiem, hoc fieri cum remittentur quatuor gradus caliditatis: hi non remittentur nisi à frigido; nam omnis mala discrasia reducitur à suo contrario, ut dicunt medici, & Galenus in tertio techni. Contraria contrarijs curantur: ut dicit etiam Arist. in prima particula problematum, problemate primo, & secundo: Cum ergo transitus, de non temperatura in ueram temperiem, quae cōuenit huic mixto, fiat per frigidum: ergo digestio non fit solum à caliditate, sed etiam à frigiditate: & sicut dixi de caliditate, & frigiditate, sic dicatur de lapsu in passiis: ut, si mixtum laboreatur per humidum, uel per siccum, tunc reduceretur à suo contrario siccum ab humido, & humidum à siccō. Vlterius dicit philosophus, à calido naturali & proprio. hoc uidetur falsum, quoniam Galenus in de simpl. medic. & Auic. 2. Cano. & omnes medici, dicunt aliquas esse medicinas digestivas, alias putrefactivas, alias incarnativas: Vnde chirurgi utuntur medicinis digestiis in ulceribus, & uulneribus, ut unguentis, emplastris, & pulueribus, quae extra applicantur: & hæc digerunt: & non solum fit illa digestio à calore innato & proprio: ergo à calido alieno, & extrinseco fit digestio. Vlterius, cum dicit ex oppositis passiis, ibi omnes expositores, & Alexander in primis, exponunt pro materia, quae primo est opposita & contraria, antequam conuertatur in similem per qualitates actiuaras. In oppositum tamen est Vgo Senen. in prima particula aph. super eo aphor. Digesta mediari & mouere non cruda. ibi arguit contra Albertum & ponit infinitas limitationes definitionis, quam dedit Aristoteles. (Ego autem credo quidem, hunc hominem esse doctum, ut dicunt nostri medici: mihi tamen non placent tot limitationes: & in eo loco male damnat Albertum) & dicit quod si diffinitio esset bona, sequeretur quod esset aliqua di-

D gestio,

gestio, quæ non esset mixtio humidi cum sicco. nam si fiat lapsus per frigidum, & nihil inducetur nisi caliditas; ergo sola erit calefactio, & tamen est perfectio. & etiam fit digestio per frigidum; & non fit mutatio in qualitatibus passiuis. & poteritis uidere Vgonem eo in loco. In oppositum tamen est Aristoteles, & Galenus tertio techni. & omnes medici, qui uolunt digestionem esse à calido, & non ab alijs qualitatibus. Alij expositores nihil dicunt. Ego autem mihi in solutionibus horum argumentorum satisfacio, nescio tamen an etiam uobis satisfaciam. Dico igitur, quod, licet omnes qualitates sint actiuæ & passiuæ, tamen in hoc libro, solum duæ sunt actiuæ, & duæ passiuæ. & licet omnes concurrant ad hoc quod fiat mixtum, tamen forma mixti à nullo introducitur alio quam à calore, qui effectiè & immediatè inducit formam: & nulla alia producit formam nisi ista, licet omnes concurrant ad eius productionem, ut diximus. digestio autem est dispositio rei ad suscipiendam formam substantialem in via Aristotelis; quod bene aduertendum & semper memoria tenendum est, quoniam sic multas difficultates euademus: talis ergo inductio formæ fit à calido. & quia calidum aliquando excedit in gradu; 10 ideo non potest inducere formam: tunc uero frigidum ipsam caliditatem contemperat, & dicit ad debitum gradum, qui est aptus pro inductione formæ. & sic intelligendo dico, quod Aristoteles optime dixit, & non potuit dicere melius: quod digestio, ea.s.qua disponitur mixtum ad susceptionem formæ, illa inquam fiat à solo calido, primò, & immediate, & effectiè. Ad primum ergo argumentum, idem simil putresceret & digereretur, dico quod hæc materia tractatur in questione de maioritate morbi, & nos infra latè de 20 hoc dicemus, & respondebimus ad hoc argumentum. Ad aliud, cum arguis, digestio fit per frigidum, ut per syrups & aquam ueri frigoris; dicerem quod forsan talis non est uera digestio: quoniam uera digestio fit in ueris rebus naturalibus, & in nutritione, & alijs operationibus animalium naturalibus, quando debet generari nouum mixtum; aut cum mixtum est genitum, & in eo perficiuntur aliqua, ut in fructibus, in quibus perficiuntur sapores boni. medici autem abutuntur nomine digestionis; quoniam ea est materia, quæ corpus non alit, nec alere potest, nec in ea inducitur dispositio amica naturæ: sed in materia maligna introducitur dispositio, qua fit apta expulsioni. Vera autem digestio formæ substantialis inductione præparat: & illa semper fit à calido. Vnde etiam dico secundo, quod frigus illam non temperat naturam, nec digerit ex se, sed uirtus infirmi, quæ 30 aut est calor naturalis, aut omnino dependet à calore naturali. Vnde in homine febriente non extinguitur tota caliditas febrilis per aquam frigidam: sed excessiu calor remittitur ad temperamentum hoc, id est ad minus calidum: postea autem uirtus efficitur potens super reliquum, quod reliquum digerit & expellit: ideo aqua frigida propriè non digerit, sed pro quanto remittit gradū excessuum caloris, & deducitur ad temperamentum, pro tanto dicitur digerere, sed non proprie: deducitur enim corpus ad calorem non ita æstuante, ut postea possit digerere: & sic etiam de fructibus est dicendum, super quos cavit pruina. Vnde dico ulterius, quod fit sicut in caponibus cum senescunt, quos coqui, cum coquere uolunt, ut citius coquant, & melius, primo projiciunt in aquam frigidam, ut fiat antiperistasis: fit enim ut in calce, quoniam præsentia aquæ frigidæ unit intrinsecum 40 calorem, qui sic imus & fortificatus digerit. accedente igitur caliditate extranea coquente, postea fit melior caponum concoctio. sic etiam in fructibus est dicendum. & tamen frigus illud aquæ frigidæ non digerit propriè in caponibus. nec pruina in fructibus. Argumentum autem quod sequebatur, erat fortius, scilicet quod sumpto corpore temperato in alijs qualitatibus, si labatur hoc, per casum, ad caliditatem, stante temperamento in alijs qualitatibus: ergo non fiet digestio. lapsus autem per caliditatem ex tertio techni, corruptitur per frigidum oppositum, frigidum autem oppositum huic lapsu, per calidum, est etiam excessiu frigiditas, quæ tamen excedit ad frigidū latus quantum excedebat ille lapsus ad caliditatem: approximato ergo illo frigido, tunc corrigitur lapsus: ergo digestio fiet à frigido. Ad hoc argumentum, quod nostrum est. Dico respondendo, quod non est credendum, quod temperamenta corporum consistant in puncto, siue in indivisiibili; sed habent magnam latitudinem. neque corpus temperatum ex quolibet gra-

bet gradu inducto, infirmatur. Dico ergo, si ex digesto debet fieri indigestum, oportet quod fiat distemperies, etiam in passiuis; quoniam propriè digestio subiectiue fit in passiuis, quæ sunt ut materia digestionis: in actiuis uero formaliter est digestio, & non materialiter. Vnde, non ex quacunque intensione caloris uariatur dispositio illa; sed bene uariari potest in actiuis. quando autem fit excessiu uariatio in actiuis, tunc uariatur etiam in passiuis: vnde prima primi, caliditas maior quam oportet, reddit corpus siccus quam oportet. quare, si parum uariatur calidum, tunc propterea non uariatur digestio: sed si multum uarietur, uariatur etiam digestio. quando enim tantum intenditur calidū, ut reddat corpus siccus, quam oportet: tunc bene uariatur digestio, quia etiam uariantur qualitates passiuæ: sed non ex omni uariatione in actiuis, uariatur mixtio humidi cum sicco, uel ipsa digestio. Sed dicetis, quod hæc est fuga. Nam pono casum, quod corpus fiat à caliditate etiam siccus quam oportet, ut respondes. stante tamen hac responsione, adhuc uariatur temperamentum. quod si recuperari debet, hoc fit administrando aliquod frigidum, & humidum, uel actualiter, uel virtualiter. Ad hoc respondeo, quod si aliquod corpus labatur per calidum & siccum, ita, ut non sit amplius in latitudine bene digesti & cocti; tunc per applicationem humidum, & frigidum, nunquam tale corpus digeretur, nec poterit reduci ad temperamentum. Nam si labitur per calidum, & siccum, tunc fit arsum, & combustum, non autem crudum. Dicunt autem medici, quod tale nunquam fieri potest crudum. Vnde dicit Auic. prima primi, de humoribus, quod licet phlegma possit transmutari in sanguinem; nunquam tamen melancholia potest fieri sanguis: quoniam arsum uel combustum nunquam potest redire in eam dispositionem, ut possit fieri digestum, nec potest incrudari. crudum autem bene potest coqui, & digeri. nunquam enim ex applicatione frigidi uel humidu deueniet ad hoc, quod possit nominari digestum. & si etiam per actionem frigidi & humidu deueniret ad illum gradum siue punctum gradualem caliditatis, & frigiditatis, in quo etiam est digestum; non tamen diceretur digestum. Vnde bene dicūt medici quod idem corpus lapsum per calidum & siccum, si reducatur per frigidum, & humidum ad hunc priorem gradum caliditatis, & frigiditatis, in quo etiam est digestum; adhuc tamen non erit digestum. quare autem hoc fiat, non est præsentis speculationis. Quare, digestio non dicitur omnis mutatio, per quam inducitur tantus gradus caliditatis & humiditatis, sed etiam includit talem modum agendi: modus autem agendi in digestione est, quod fiat per calidum. ita ergo responderem ad primum argumentum. Ad aliud autem, cum arguis hoc eodem modo fieri in lapsu qui fit in passiuis qualitatibus stante temperamento in actiuis, admitto casum licet forsan sit impossibilis. Nam dicit Auic. in fine de complexionibus, quod corpus siccus quam oportet, reddit ipsum etiam calidius quam oportet. et qui humidius quam oportuit, reddit ipsum etiam frigidius quam oportuit. Dico tamen, esto quod ita esset, ut ponit casus, id est quod per applicationem humidu uel siccii deueniat ad eundem gradum, in quo prius fuit: tamen adhuc illa transitione non diceretur digestio; quoniam non seruatur idem modus agendi, qui obseruatur in digestione, cum non fiat à calido: oportet autem quod fiat uirtute calidi in oppositis passiuis. ideo uariatur modus agendi. uariatur autem & agens ipsum. at, ut sciunt exercitati in philosophia & medicina oportet, quod sit idem modus agendi. sic igitur responderem ad hoc argumentum, nec credo posse aliter responderi. Ad argumentum autem de syrups facilius respondere possumus; & Aristoteles ipse respondet, quoniam illa non est digestio propriè: propria enim digestio est animalis: animal enim digerit, & adiuuat calor naturalis medianibus illis; est tamen digestio metaphorica. & concedit hoc etiam philosophus. Ad aliud, cum dicit [ex oppositis] erat argumentum Vgonis. quoniam habeat mixtum tantum de passiuis quantum sibi conuenit, & requirit proportio naturæ suæ, nec excedat in calore sed in frigore: atque inducatur tanta caliditas, quanta oportuna fuerit, non uariatis passiuis; hæc erit perfectio & digestio, quæ tamen non erit in oppositis passiuis; unde etiam sequetur aliquam esse digestionem, quæ sola sit calefactio absque uariatione qualitatum passiuarum; quod probatur permixtum lapsum per frigidum, & reductum ad temperamentum à calido. Hoc argumentum coegit Vgonem relinquere

Petri Pomponatii dubitationes

expositionem Alexandri, & Alberti. Vnde exponit Vgo illum locum ex oppositis passiuis, sic, quoniam necesse est ut calidum bene commisceat & incorporet humidum cum ficco, & siccum cum humido. & hoc modo uult digestionem fieri in oppositis passiuis, ratione caliditatis agentis in humidum & siccum, ut in materiam. Certe quæ dicit Vgo, sunt optimæ dicta: sed non sunt tamen contra Alexandrum & Albertum. & haec, ut putat, non est expositio noua quæ aduersetur expositioni Alexandri & Alberti, immo est declaratio dictorum, quæ dixerunt illi duo uiri, quos uidetur Vgo non intellexisse: si enim eos intellexisset, nunquā fuisset eis aduersatus. Quare ad argumentum dicendum est, quod illa non est uera digestio, cum ad hanc non satis sit unam qualitatem uariari, sed omnes inter se agere oporteat, sicuti etiam ad mixtionem requiruntur quatuor elementa, & omnes qualitates, quarum quælibet habet officium suum, ut audiuitis. ex duobus enim elemenis non potest fieri mixtum, ut dictum est in secundo de generatione, & ut etiam Alexander ipse intellexit.

D V B I T A T I O XXVIII.

A liud dubium est, in eodem tex. 14. quando Aristoteles ponit efficiens & materiam digestionis & indigestionis, quid intelligatur ab Aristotele esse uera materia digestionis? Thomas de Garbo tenet, quod humidum, illum tamen reprehendit Vgo, ut uidebitis in eius scriptis & questionibus. Verum est tamen, quod uerba philosophi sonant sententiam Thomæ de Garbo. Et si hoc est uerum; facillimum est respondere ad argumēta Vgonis. Mihi, ut uerum fatear, magis placet sententia Thomæ de Garbo: & cum eo tenet etiam Conciliator, & Gentilis contra Vgonem.

D V B I T A T I O XXIX.

A lia quæstiuncula. dicit Aristoteles alia esse uere digesta, alia non uera digestio. ne digesta: & dat in exemplum de ambobus lac, quod tamen affert quæstionem. cum lac decoquatur in animali à calore naturali, ita ut semper uerè digestum sit. Ad hoc dico, ut respondet Alexander, quod lac consideratur dupliciter: uno modo ut est extrinsecum animali, ut in tercia primi dicit Auic. cum loquitur de regime infantium. cū enim lac est extra corpus, medici cognoscunt dispositionem boni lactis & mali; & cum est minus aquosum, aut nūmis spumosum, similitudinarie est digestum. alio modo ut est in corpore; & sic uere dicitur digestum, cum est adhuc in mammillis animalium. ab extra uero cum ex eo sit butyrum & caseus, dicitur digestum metaphorice.

D V B I T A T I O XXX.

A lia est dubitatio in tex. 26. tacta ab Alberto, & satis bona. nam uidetur quod Aristoteles misceat caput cum capite, lac enim uidetur coqui per assationem, quia patitur à calore siccо: ergo non debet poni in cap. de maturatione. Præterea lac cogitur à siccо & calido: ergo ponendum est in capite de assatione. Respondet Albertus, quod non inconuenit unam rem poni in diuersis capitulis, in uno uerè, in alio non uerè: immo etiā aliquando in duobus metaphorice, ut mulus assimilatur equo & asino, & tamen nullum illorum est. sic lac uerè assatur, & similitudinariè maturatur.

D V B I T A T I O XXXI.

A lia dubitatio, quoniam mirum est aquam posse elixari, quod tamen uidetur uel ale Aristoteles. aqua enim non potest ingrossari: ergo non potest digeri. si non digeri: ergo nec elixari (à genere ad speciem negatiue) cum omnis digestio fiat ingrossando, ut dicit Aristoteles. Ego dicam aquam posse elixari, non propriè, sed quo ad

in quartum Meteor. Arist.

21

quo ad unam dispositionem solum, quoniam potest expelli frigidum & introduci calor. quo tamen ad aliam dispositionem, quæ requiritur ad elixationem perfectam, quæ fit per ingrossationem, sic elixari non potest. non enim conueniunt sibi omnes conditions perfectæ elixationis. Sed dicetis uos, aqua tamen non potest maturari; non enim conuenit ei esse maturam uel non maturam, quomodo ergo poterit dici elixata uel non? Et quando respondez, elixari impropriè, & non quo ad omnes conditions requisitas ad elixationem, quoniam deest ingrossatio; sed sufficit quod acquirat ab illa decoctione aliquam per fectionem quam prius nō habuit. Contra: sic etiam possem respondere in maturatione, quoniam quod maturatur, elixatur, sed non propriè. Ad hoc dici posset quod in singulis linguis hominum sunt proprij quidam & peculiares modi loquendi, qui si ad aliam linguam transferantur, male stabunt. ita forte apud Græcos erat, ut aquæ decoctionem uocarent elixationem non tamen maturationem, quod usus loquendi fortasse hoc abhorruit. Vel etiā dicatis, ut ego soluerem, quod decoctione aquæ potest uocari elixatio impropriè, quia fit in humidō aquo multo: non potest tamen uocari maturatione, quia maturatione licet fiat à calido, non tamen fit in multo humido aquo, ut elixatio. ideo maiorem habet conuenientiam cum elixatione, quam cum maturatione.

D V B I T A T I O XXXII.

A lia sunt quæstiunculæ, quarum prima est, quoniam dicit philosophus in hoc loco, quod caro frixa & assata est humidior quam caro elixata. hoc uidetur mirum, & contra experientiam & rationem. Nam uidemus, quod in carne elixata multum de aqua manet; in carne uero assata parum. Secundo etiam aduersatur hoc ratione, nam exsiccatio fit à calido & siccо magis quam à calido & humido: elixatio autem fit à calido & humido: assatio autem fit à calido & siccо. Item Medici dant febrentibus & maxime febre tertiana, patellam, carnes elixatas, & pullos gallinarum elixatos; & nunquam res assas: humidæ autem dietæ conueniunt omnibus febrentibus. Ulterius, habetis ab Auicenna & omnibus medicis, quod in fluxibus dantur assata & non elixa: immo prohibentur elixa, quoniam promouent fluxum, carnes uero assatae compunctionem uentre, & conueniunt: ergo omnia assata sunt sicciora. In oppositum tamen refert Aristoteles, & experientia: si enim incidatur caro assa, & elixa, assa habet plus humiditatis quam elixa, & hoc ratione humiditatis, quæ est ut succus quidam remanens in carne assa: ideo & delectabilior est gustu quam caro elixa. Ulterius in anguillis qua assantur, boni coqui superaspergunt farinam amyli, ut humiditas exiens recipiat in illa forma. Item boni coqui in carne assanda primo excitant bonum ignem, ut primo calore subito torreatur res assanda. ex eo enim modo acquirit quodammodo corticem: unde retinet postea humiditatem intra, ne exeat; & humiditate illa intus retenta melioris reddatur saporis: & tandem successu & sensim temperato igne compleat coctionem rei assandæ. Ulterius, per rem assatam generatur in nobis nutrimentum multo aptius nutritioni, firmius, & solidius, si modo concoquere possimus. Ad hanc dubitationem dico, quod Aristoteles dicit uerum, & cum eo tenent etiam medici. Ad argumenta respondet. Ad primum cum dicas, res elixatae habent multum de aqua, dico, quod hoc non est de humiditate substantifica: non enim humidior est eius substantia; sed quia ius in quo facta est elixatio, adhuc remanet in poris ipsius carnis elixatae: & haec est humiditas extrinsica. Ad secundum, quando arguis assatio fit à calido, & siccо, quod plus exsiccatur: elixatio autem fit ab humido. Dico, quod calidum siccum plus exsiccatur per se, sed per accidens plus humectat, ut in assatione. nam educit ex locis penitioribus & latentibus partibus humidum intrinsecum, & commiscet cum siccо: humiditas autem à cortice superinducto ab igne postea retinetur, ne possit exire: & sic plus humecta est res assata. in elixatione autem, licet aqua illa per se humectet, tamen extrahit humidum substantificum, quod postea uidetur supernatare in brodio, quod ex eo pingue scit. Ad tertium de febrentibus, dico quod plus conuenit caro elixa, quia est facilitas digestionis; non quia humidior, assata enim difficiliter concoquuntur, licet plus nutrit;

D 3 quo-

Petri Pomponatii dubitationes

tur; quoniam plus porriguntur corpori de humido. unde etiam medici admittunt oua dari febricitantibus, que tamen maximè contraria sunt, in quantum calida: sed præcipiunt ea imponi in aquam per quatuor horas, ut caliditas eorum refrangatur. Carnes etiā assatæ ratione caliditatis impressæ ab igne non conueniunt in febribus; ideo melius est uti elixis. Ad argumentum de fluxibus, dico, quod medici propositum est confortare uitutem digestivam in firmi: hoc autem fit per siccum. aqueum autem promouet fluxum, & laedit digestionem propter lubricitatem: humidum autem aereum non laedit digestionem. in assatis autem plus est de humido aereo, & in elixatis plus de humido aquo. Vnde inducit in assato stipicitas quedam ratione calidi ignei. Quare, quod assata conueniant, nō est quia sunt humida aqua; sed quia sunt humida aerea; & ratione stipicitatis inductæ.

D V B I T A T I O XXXIII.

A Liud dubium. dicit Aristoteles quod frixa sunt assata, quia attrahunt humidum, & fiunt humidiora quam elixa: & per hoc conueniunt cum assis. sunt autem humidiora intus, & per hoc differunt ab elixatis. uidetur quod hæc ratio non ualeat: quoniam assata humidum est alterius generis, quam frigororum, cū assorum humiditas sit propria, frigororum autem aliena & extrinseca. Super hoc considerate.

D V B I T A T I O XXIV.

A Liud dubium mouet Alber. quoniam assata sunt humidiora intus, extra uero sicciora; elixata è contra humidiora extra, sicciora intus. Sed quid de ouis, quæ coquuntur in aqua? illa enim fiunt sicciora extra, & humidiora intus. si dicas ea esse affa, falsum est, quoniam affa coquuntur à calido igneo, elixa à calido aquo: oua autem coquuntur à calido aquo: ergo &c. Si ea dicas elixa. contra, quia affa sunt humida intus, sicciora uero extra: sed elixa contrario modo, & sicciora intus, & humida extra. Ego dicerem relieto Alberto, quod Aristoteles nunquam dixit, quod ego uiderim, elixata esse intus sicciora, & extra humidiora. sed dato etiam hoc, uitellus & albumen sunt diuersarum naturarum: uitellus enim est calidus & aereus, albumen frigidum & aqueum, & uiscosum: ideo medici utuntur eo in uulneribus in principio quoniam repercutit. Vel aliter dico, quoniam non omnia sunt elixabilia, maxime quoniam non habent poros, per quos possit ingredi corpus aqueum. Sed uitellus & magis etiam albumen sunt uiscosa: ideo habet poros strictos, nec aqua potest bene ingredi. nec propriè est etiam tale ouum assatum, quoniam non resudat humidum intrinsecum, sed participat de utroque. nam, quando est decoctum in humido aquo, participat cum eo quod est assum, ea ratione, quoniam passum est à calido igneo, nam nō patitur à calido nisi igneo, non à calido humido uel aquo, quoniam ingredi non potest. patitur autem à calido aquo cortex solum, qui calefactus est primo ab aqua; ideo conuenit cum assis & elixis: nullum tamen eorum est propriè.

D V B I T A T I O XXXV.

A Liud dubium, quoniam in digestione lactis ponitur cap. pepansis. digestio autem in isto cap. elixationis. Sed contraria sunt eiusdem naturæ, & in eodem capite. 10. metaph. Alex. & Albertus nil dicunt, nec Gaietanus, nisi in quodam notabili, in quo ponit solutionem, quod lac in mammis, cum coquitur ibi, tunc est in cap. maturationis: cum uero extra, & debet pars butyri secerni à parte casei; tunc est in cap. elixationis. Sed hæc responsio contradicit Aristoteli: nam, quando dicit lac extrinsecum esse in cap. elixationis, uerum dicit. sed quod lac in mammis sit in cap. maturationis, est falsum. patet cum dicit textus [longè autem procedentibus] id est, per maiorem distantiam ultra procedendo. lac enim extrinsecum est in eodem cap. pepansis, ut ibi dixit Alexander. Quid ergo dicendum? Dico, quod lac ut est digestum metaphorice, sumptum est in cap. digestio:

ut

in quartum Meteor. Arist.

22

ut uero indigestum, in cap. maturationis. Et tunc respondeo ad argumentum, quod contraria habent fieri circa idem; intelligitur, si sunt uera contraria in contrarijs uero secundū similitudinem, est falsum. Immo ambo hæc dicuntur secundum similitudinem, & nullum uerè. Verum hæc responsio non uidetur satisfacere; quia licet possit ita dici, uidetur tamē quod istæ digestiones & indigestiones lactis dicantur secundum similitudinem. tunc, habebit maiorem similitudinem unum cum uno, quam cum alio: quare ergo sic improprie dicitur maturatum, non dicitur etiam improprie fœdum quod est contrarium elixationis? Ad hoc dico, argumentum concludere quod opposita sunt eiusdem naturæ, tamen forte talis est modus loquendi. Græcorum, ut lac non coctum uocet crudum, uel quod lac coctum est in cap. pepansis. Cum aīs, ergo non est in alio. nego consequentiā: quia lac secundum similitudinem ad diuersa potest esse in diuersis capitulis.

D V B I T A T I O XXXVI.

A Lia dubitatio est, an carnes elixæ sint molliores, quam non elixæ. hoc uidetur falsum, quoniam carnes crudæ plus habent de aquo & molli: ergo uidetur quod sint humidiores & molliores. nam habemus infra ab Aristotele, quod mollicies attestatur super humorem, ut patet in sequenti cap. Sed experientia docet, quod carnes crudæ sunt duriores, quam cocta; tamen multa humiditas sequestratur à crudo, antequam fiat coctum. Vnde etiam quando fit aqua carnis, uel per distillationem, uel aliter, plus humili exit ex carnis crudis, quam ex coctis. Alexander responderet, hoc esse ex inæqualitate, quia enim in crudo non est bene facta commixtio humili cum siccо, ideo sunt duriores, & magis uiscosæ: propterea, licet durities sit cum maiori humore, tamen est cum maiori inæqualitate, & mala mixtione. Ego certè laudo Alexandrum. possumus tamē etiam respondere, hoc esse ratione raritatis & densitatis: quoniam cocta sunt magis spongiosæ. & non intelligo hic rarum ut communiter sumitur, sed pro spongioso. Alias intelligebam aliter dictum Aristotelis hoc, in loco quod scilicet leuiter elixata effent duriora crudis, & elixatis. ut enim acceperit à coquis, res cum leuiter solum bullierint, & iterum refrigerantur, & iterum bulliant, tunc non tam bene bullient ac si una continua bullitione cocta fuissent. Verum hæc non est Aristotelis sententia. Sed uult Aristoteles comparare male elixata bene elixatis, & non crudis. Vnde autem sit hoc quod ea quæ leuiter bullita & post refrigerata difficilius coquantur, difficile est uidere. ego tamen dicerem, quod prouenit ex modo mixtionis. nam frigus penetrans inducit modum quendam mixtions, qui non potest per calidum amplius tam facile remoueri.

D V B I T A T I O XXXVII.

A Liud dubium, quare in fine dicit de assatione? Credo hoc esse, primo, quia assatio nō est tam uniuersalis & communis ut elixatio. multo enim plura elixantur quam assentur. secundo quia elixatio magis sequitur naturam: nam digestio in homine fit per calidum & humidum: assatio autem per calidum & siccum. Vnde digestio in animalibus est quodammodo elixatio quædam. Nam uita consistit in calido, & humido.

D V B I T A T I O XXXVIII.

A Liud dubium, quoniam dicit Aristoteles, si caro ponatur in aqua, & elixerit primo postea in fine assetur, quod tunc illa caro absolute dicitur affa, res enim denominatur à fine. Est tamen dubium, si Aristoteles hic tractat, & dicit ratione assationis, ad quid apposuit hanc particulam (de elixatione)? Nam sine illa potest fieri assatio. Cum autem ponitur conditio aliqua, quæ non est causa effectus; fit fallacia non causa ut causa, cum scilicet ponitur aliquid pro causa, & non est causa: ut si dicam, homo currit, & est albus, ergo album currit: et enim album, non est causa currentis. Quid est dicendum ad hoc?

Credo

Credo ego consuetum fuisse tempore Aristotelis in Græcia, ut res assandæ primo elixarentur. & ideo Aristotelem posuisse eam particulam [de elixatione] Vel ideo hanc addidisse particulam, ut, si contingat rem primo elixari, postea assari, sciamus à qua nam mutatione sit denominanda. Vel ut uicinius poneret nobis illa duo, quæ licet non sint uerè contraria, sunt tamen saltem disperata, ut ex uno contrario iuxta positio alteri opposito, melius habetur eius cognitio. Vnum enim contingit fieri à calido aqueo, alterum à calido igneo.

D V B I T A T I O X X X I X.

A Liud dubium. Agit Aristoteles in textu de stateusi (quam Alcionius interpretatur tostionem) Hic dubito. Nam tostio fit à magno calido excessu. ob id enim dicimus torridam zonam quia torret, & adurit. Stateusi autem non fit per excessuum calorem, & adustionem, sed ob defectum caloris. Hoc pertinet ad Gramaticos. ideo illis relinqu. Dubito tamen, an id quod nos vulgariter dicimus (Brustulato) latine tostum significet?

D V B I T A T I O X L.

A Liuddubium. Aristoteles in tertio cap. non obseruat quod in alijs obseruauit, ut de digestione, pepansi, hepsesi: ibi enim dixit alias illarum transmutationum esse ueras, alias metaphoricas. Hic autem non dicit aliqua torri proprie, aliqua improprie. Ego credo, sicut reperitur uera tostio, sic etiam reperiri impropria, ut in alijs speciebus. Et si dicas, cur Aristoteles hoc non dicit? dico uel quod oblitus est, uel quod significauit ex ijs, quæ dicta sunt. dicit enim sicut in superioribus inuenitur, sic in inferioribus.

D V B I T A T I O X L I.

A Lia dubitatio, quoniam dicit Aristoteles elixationem contrariam habere molynsum, aslationem autem stateusim. Contra, uidetur quod aslatio contrarietur præcisè elixationi: nam illæ mutations fiunt in termino ad quem contrariæ, licet possint fieri ab eodem termino à quo, scilicet cruditate. sint enim duo pulli crudi: unus elixetur, alter asficit: terminus à quo est idem, quia cruditas: terminus tamen ad quem unius, alias est à termino alterius: unde uidetur quod idem sit duobus contrarium. nam crudum erit contrarium asso & elixato. terminus enim à quo, contrariatur termino ad quem: nam mutation fit de contrario in contrarium. Credo, ad hoc, impossibile esse, ut tostioni & molynsi assignetur idem contrarium. Immo necessario sunt duo contraria. probatur, quia si esset unum contrarium utriusque; tunc contrariabitur, aut ut extremum extremo, aut ut medium extremo; aut ut extremum medio. idest cum unum duobus opponitur uel oportet ei, ut extremum duobus extremis, uel ut extremum uni extremo & uni medio, uel ut unum medium duobus extremis; aliter enim esse non potest. primum est impossibile, cum decimo metaph. in uno genere non possint esse nisi duo extrema, ut patet etiam in fine periherm. securidum etiam dari non potest, quoniam sic aslatio esset medium inter cruditatem & unum illorum, quod est impossibile: & assatio & elixatio essent eiusdem generis, quod fieri non potest, nam ex uno extremo ad aliud necessario transitur per medium. nec tertium, quoniam oportet, ut esset transitus per illud medium, quod non sit. ideo Aristoteles, bene dixit. Ad argumentum autem, imaginor, quod sicut idem terminus potest contrariari duobus secundum diuersas rationes; sic etiam sit hic. nam sint duo pallida, unum moueatur ad albedinem, alterum ad nigredinem; incipiunt ab eo- dem, sed mouentur ad diuersos terminos, ut habetur quinto phys. 25, ubi dicit Auerroes, quando pallidum sit album, tunc contradicit albo, in quantum nigrum formaliter, nam

nam terminus à quo formaliter est nigrum, licet materialiter sit pallidum: sed pallidū motum in nigrum, est terminus, à quo, materialiter ipsum pallidum, formaliter autem album. ideo formaliter sunt duo termini à quo contrarij, sed materialiter est idem terminus. sic in pullo elixo & tosto, idem est terminus materialiter, alius formaliter. quia scđm unam rationem assimila elixationi, secundum aliam aslationi. Sed hæc responsio mihi non placet, nec stare potest cum textu Aristotelis: quia contrarium elixationis est molynsis, quæ non est cruditas. sed quoniam agens agit & non perficit, ut dixit in cap. de hepse, sic tostum non est contrarium aslationi ratione cruditatis, sed oportet ut sit facta actio, licet imperfcta. ideo illa duo non uidentur opponi ratione cruditatis aslationi, uel elixationi. Vos considerabis.

D V B I T A T I O X L I I.

A Lia dubitatio, quoniam dixit, quod uermes non generantur in stomacho, sed in intestinis. An ergo possunt generari in stomacho? uidetur quod sic, primo authoritate Gal. 3. tech. comment. 27. Item Oribasius, & Trifianus, uiri maximi in medicina hoc tenent. & ratione conuincitur. Vbi enim est materia & efficiens, ibi potest fieri effectus: in stomacho est materia, & efficiens. ergo in eo potest fieri effectus, scilicet uermes. Vnde & in stomacho male disposito fiunt putredines ut eructationes putridæ. Item per locum à maiori, fiunt in hepate, auribus, in cute; & minus uidetur posse ibi fieri, nam hepatis est membrum ualde calidum, ubi humores minus debent conuerti in putredinem. Et tamen Concil. in differentia. 10. in capite arietis uidet uermes, & in auribus, & hepate. ergo magis debent fieri in stomacho. Idem sentire uidetur Auic. in 16. tertij Cano. quando dicit quod generantur in stomacho, hoc est quia ascendunt ad stomachum, ab alijs locis. Item Auenzoar & alij non dicunt fieri in stomacho: tamen Auerroes & Albertus, quos sequitur Sauonarola, in tract. de uermibus, dicunt medicos uerum dicere, & etiam Aristotelem: nec esse contradictionem nisi quo ad uerba. nam in stomacho bene digerente & sano fit digestio; ideo ibi non potest esse putrefactio. Cum autem Medici dicunt eos generari in stomacho, intelligent in non bene disposito, & ex mala eius dispositione. Hoc dictum Conciliatoris & Alberti placet. sed mihi non uidetur esse ad propositū, nec de mente Aristotelis, licet fortasse eorum dictum sit uerum. Quod enim non uelit hoc Aristoteles, quanquam habeamus multas rationes; unam tamen solam adducam. Dicunt illi, quod non generantur in stomacho bene disposito, sed solùm in male disposito. Sed contra, quia idem dicam ego de opinione medicorum, eos uidelicet medicos, quos Aristoteles impugnat, intellexisse de stomacho male disposito. Et hoc quidem facit mihi fidem, hos non habere intellectum Aristotelis uerum. Vnde si dicant hi Aristotelem intellexisse particulariter, & cum limitatione; ita ego dicam alios particulariter intellectexisse. Quæ autem sit ratio, quia non generantur uermes in stomacho; hoc ponit Alexander in problematibus, quæ nos non habemus. Habeo autem ego tres rationes ueri similes, & multum apparentes. Prima tangitur in textu, quoniam stomachus est locus digestionis: ergo non indigestionis. sed uermes fiunt per putredinem: ergo &c. Secunda ratio est melior, quoniam in multis locis corporis nostri fit digestio; & omnis digestio fit per calorem: maxima autem digestio fit per magnum calorem, qualis est illa, quæ est in stomacho. Nam licet in stomacho non sit ualde magnus calor ex ipsomet, magnus tamen euadit ratione membrorum quæ illum circumueniunt, ut hepatis, splen, dia phragma, cor &c. Ideo licet stomachus ex se non sit multum calidus, tamen ratione membrorum circumstantium maximè calefit; ita ut in eo fiat maxima ebullitio, & tanta, ut cibi ualde grossi & res uaria in eum ingestæ in ipso digerantur, quæ in nullo alio membro corporis transmutari & digeri possunt. hanc rationem fortè Aristoteles intellexit, & tetigit; quod tamen non affirmo. Item stomachus est maxime sensibilis, ut patet in dolore stomachi, quæ ego passus sum: quod si uermes in eo generarentur, maximum causarent dolorem, & euomerentur. Item in stomacho est continua via cibi & potus, ita ut non possit esse tanta quies-

Petri Pomponatii dubitationes

ta quies materiae in eo, ut possint illic generari uermes, & fortasse Aristoteles intellexit hanc rationem in alijs locis. Dico ergo quod calor stomachi non mihi uidetur proportionatus pro generatione uermium: quoniam in loco calidissimo, ut in aqua feruent, non possunt generari uermes: sic nec in stomacho. non ergo valet argumentum, in alijs membris generantur uermes, ergo & in stomacho generabuntur. Et cum arguis, hepar est calidius stomacho. Dico ex se & intrinsece uerum esse: sed stomachus est calidior propter membra intrinseca circumstantia scilicet hepar, splen, diaphragma, intestina, & cor. Si autem quis uelit aliam opinionem; non erit difficile respondere argumentis in oppositum. Nam, cum arguis de magna caliditate: concedo: sed non est tam magna, quin in ea possint generari uermes: non enim est illa caliditas adeo intensa ut possit impedire generationem uermium. Ad secundum, putrefactio & digestio non possunt fieri in eodem loco, aut in eadem materia. Dico, quod non essent de necessitate in eodem loco, nec in eadem materia; quoniam non in onibus locis aequaliter est cibus. possit enim cibus in una parte concoqui, & in alia parte putreficeri. Similiter calor non est aequaliter in omnibus partibus stomachi. in una enim parte magis uiget quam in alia ipse calor. Et per idem responderetur etiam ad tertium argumentum: nam licet continuè capiat cibum, non tamen ita, ut materia putrescibilis non possit, se congregare in aliquo loco, in quo fiat putredo. Et sic ambae opiniones possunt sustineri mea sententia. & ad utrasque rationes est responsum. quae tamen opinio sit uerior, credo ego nec Aristotelem, nee Galenum, hoc sciuisse: sed folium Deum.

10

20

D V B I T A T I O X L I I I .

Post aliqua literalia dubia circa materiam de digestione, sequitur nunc examen ipsum. Et in hoc sunt multae difficultates. Prima difficultas est, quoniam dictum est tres esse species digestionis, & tres species indigestionis: habent ergo ille unum commune genus in quo conueniunt. debet ergo unaquaque habere propriam differentiam, per quam differat ab alia. Hic sunt tres opiniones, quas ego elicio ex paraphrasi Alberti. Primam opinionem ponit ipse duobus uerbis, & non nominat authorem. quoniam omnis digestio aut fit per naturam, aut fit per artem. si fit per caliditatem naturalem, tunc est prima species: 30 si autem per caliditatem artificialem, tunc fit secunda species. prima, pepansis dicitur; secunda autem subdiuiditur, quoniam aut calidum articiale est coniunctum humido aquo, & sic fit elixatio: aut calido igneo, & fit assatio. Hæc opinio mea sententia est uana, quicunque sit illius author. & pro hoc possum plures rationes adducere. tamen tribus ero contentus. Prima est, quoniam manifestè aduersatur Aristotelis. nam secundum hanc opinionem elixatio & assatio solum fierent per artem: Aristoteles autem in cap. de hepesi, præcisè dicit oppositum, deinde in cap. sequenti. s. de optesi dicit quod eadem sunt species quæ fiunt secundum artem, & quæ fiunt secundum naturam. ideo hæc opinio aliena est à dictis Aristotelis. Secundo arguo. Secundum hanc non fierent solum illæ species quas isti ponunt, immo fierent quatuor species. Probatur hoc: secundum eos fiunt duæ species 40 secundum artem, cum scilicet calor artificialis iungitur siccо igneo, uel humido aquo, quid obstat quod calidum naturale pariter non iungatur siccо igneo, uel humido aquo? & sic patet, quod erunt quatuor species: non enim uideo quid repugnet. Tertiū argumentum. Elixatio & assatio fiunt per artem: ergo habent principium extrinsecum, ex secundo phys. & quinto metaph. principia enim effectiva rerum artificialium sunt extrinseca. Sed cōtra. sunt digestiones secundum Aristotelem: ergo eis conuenit diffinitione digestio. Sed hæc est à proprio, & naturali calido: ergo non est artificialis; idem enim esset à principio extrinseco, & intrinseco. Quamobrem neglecta hac opinione, ponamus secundam quæ est Alex. Aphrod. in commento huius loci, qui partim ab hoc discrepat, partim conuenit. Nam prima opinio uult has species fieri per artem, quas secundo loco nominat. Alexander autem uult eas partim fieri per artem, partim per naturam, licet ponat hanc differentiam, quoniam digestio aut fit à calore intrinseco, aut extrinseco: si ab intrinseco;

50

50

in quartum Meteor. Arist. 23

trinseco, sic fit pepansis: si ab extrinseco, tunc aut coniungitur cum humido aquo, & fit elixatio; aut cum calido igneo, & fit assatio. & sic uult pepansim fieri per calorem intrinsecum; alias autem duas per calorem extrinsecum. Domini, temerarium forte uidebitur me uirunculum tātillum repugnare Alexandro. tamen dicā, quod sentio. Credo hanc opinionem esse deliramentum, & longe peiore quam primam. nam licet hæc in uerbis uideatur discrepare à prima; tamen re ipsa necesse est eam coincidere cum prima. Nam dicebat pepansim fieri per naturam, alias autem duas per artem. Alexander autem dicit, quod pepansis fit à principio intrinseco, & aliæ duæ à principio extrinseco. Considerate uos, an ea quæ fiunt ab agente intrinseco, sint alia ab ijs quæ fiunt à natura: & quod fit ab 10 agente extrinseco, fit aliud ab eo quod fit secundum artem. Quare argumenta, quæ ad ducta sunt contra primam opinionem, ualent etiam contra secundam. & magnus uidetur error in dictis Alexandri, qui dicit quod assatio & elixatio fiunt secundum naturam, cum tamen secundum eum etiam omnis elixatio & assatio fiat à principio extrinseco. Alexander quidem uidit hoc dubium, licet non moueat ipsum: dicit tamen circa expositionem textus, quod nutritio quæ fit ab artificiali, fit ab extrinseco nutritente, licet non ab extrinseco nutrito siue rei digerendæ: & sic elixatio est naturalis, quoniam ab intrinseco est ei quod digerit, extrinsecus autem ei quod digeritur; quia nihil alterat se. Sed si ita est, tunc unaquaque digestio esset elixatio, uel assatio: nam sic etiam est in pepansi, quoniam in ea nihil agit in se. in pepansi enim actio fit in cibum; & etiā ab extrinseco fit hoc. cibus enim 20 calefit ab extrinseco, quia digerens digerit cibum, & digerens est extrinsecum ab ipso digesto: ergo pepansis non differret ab elixatione & assatione: ergo non erunt tres species, sed solum duæ. Huic argumento ego non habeo quid respondeam, uidetur enim mihi concludere contra dicta Alexandri. cum pepansis non distinguatur ab alijs duabus species eatenus, quia fiat sic ab extrinseco, ut diximus: par enim ratio est in singulis tribus, & ex ijs possum dicere id quod Alexander dicit in duabus. & sic re non distinguuntur ab inuicem illæ tres digestionis species, sed realiter idem erunt; & formaliter distinguerunt. Nanque sumpta pepansi, cum calor naturalis digerit quod debet digerere, tunc est pepansi uera pro quanto cibus digeritur & transmutatur. à re digerente formaliter distinguatur, in quantum per unam fit nutritio & non per aliam. Vnde, in quantum anima, digerit cibum & intrinsecat eum corpori & fit nutritio, sic re idem sunt; formaliter autem in quantum tale agens extrinsecum est corpori nutrienti, sic non sunt idem. Sed hæc respon sio etiam non ualeat. nam cibus digeritur à calore: aut ergo calor adiungitur humido aquo, & tunc fit elixatio: aut siccitatē ignea, & tunc fit assatio: & sic nascuntur duæ species digestionis. Sed adiungas modo etiam calorem naturalem aut humido aquo, aut calido igneo; sicut ergo duæ species ex parte agentis, sicut tu ponis duas primas species ex parte passi: ergo erunt quatuor species digestionis. Item si debet fieri digestio, tunc necessario fit mutatio nutrimenti in substantiam nutriti. ergo hoc fit ab extrinseco, contra Alexandrum. Amplius Alexander ponit assationem omnem fieri à caliditate aliena, quomodo ergo erunt species digestionis, quæ necessario fit secundum diffinitionem, à calidi tate naturali, & ab intrinseco? Nam dicit Aristoteles in textu [digestio est perfectio facta à proprio, & naturali calido]. Ego igitur pono tertium modum, neglectis alijs. Moderni latini non uiderunt istas difficultates, quia nihil habuerunt de Alexandro, nisi quædā fragmenta. Dicit autem Albertus tria, quæ pertinent ad nostrum propositum. primo ponit duo, deinde uadit ad contradictionem. & primo ponit speciale caput de hac re, quod ego in summa dicam, quoniam digestio propriè reperitur in ijs quæ secundum naturam talia dicuntur. quæ enim digestionem ueram patiuntur, non sunt ea quæ patiuntur digestionem quæ fit per artem. quæ autem digeruntur per metaphoram, possunt digeri aliquando arte. Reddit autem Albertus rationem, quoniam ars imitatur naturam, & ars est quasi simia naturæ, et hoc uidetur dicere etiam Aristoteles. Adiungit secundo Albertus, quod licet omnia naturalia patiantur digestionem, tamen uiuentia melius patiuntur illam, & magis propriè quam non uiuentia, inter uiuentia autem magis animalia; inter animalia maxime homines; quoniam digestio est præparatio quædam ordi nata

nata ad nutritionem, melius autem animata nutriuntur quam inanimata; & inter animata magis animata, quae sunt animalia; inter animalia magis homines quam bestiae. Vnde plantae tantum metaphoricè dicuntur esurire, sitiare, nutriti, pasci, digerere, & non propriè; animalia autem proprie, maximè autem omnium homo. omnis autem digestio fit per calidum: aut ergo solum agit ea ratione qua calidum, non qua coniunctum calido igneo, uel humido aquo; & sic cum agit etenim quatenus calidum, dicitur facere pepansim, nam maturatio fit à calido, non autem coniunctè: dicit enim Aristoteles quod fit à calido per se, id est non coniunctè, sed solitarie, hoc enim est per se tertio modo. Cum uero calidum concoquit, in quantum coniunctum alteri, hoc est dupliciter, aut coniunctum calido igneo, aut humido aquo, sic fit assatio uel elixatio. & hæc est opinio Alberti, quæ cōuenit cum Alexandro, & etiam cum prima opinione: quoniam ponit digestionem fieri à calido: licet differat in alijs, ut patet examinanti utrunque. Declarat autem Albertus suā positionem secundum tres operationes disparatas, quas habent facere illæ tres digestiones. nam aut fit maturatio facta à calore in quantum calor est, ut in seminibus; fit enim semen per maturationem: & tunc animatum dicitur perfectum, cum potest facere tale alterum quale ipsum est. hoc igitur antequam generatur, maturatio fit in semine, & fit prima operatio per primam speciem digestionis quae est maturatio. Cum autem homo genitus est, tunc usque ad certum tempus ætatis suæ fit hepthesis, quoniam corpora adhuc sunt mollia & ualde humida, eò quod sunt adhuc propinqua principijs generationis, ut dicit Auctenna tercia fēn primi. cum autem ætas processerit & adoleuerit homo: tunc ebullit sanguis & æstuat, nec amplius nutritur lacte; sed opus habet nutrimento solidiori, & tunc fit tertia species digestionis: dicit enim Hippocrates quod, qui crescunt, plurimum habent calorem innatus, ideo plurimo egent nutrimento, & tunc calor acceditur & fit igneus, licet in radice sit æqualis calori pueri: postea autem in radice idem fit igneus in adolescētia. prima ergo digestio fit in semine, secunda in ætate puerili, tertia in iuuentute. in senio uero fit indigestio, & uenient catarrhi, & animalia tendunt in occasum. Sic etiam in plantis, nam prima digestio est in semine, secunda cum crescunt & est quodammodo ut ætas infantilis, tertia autem cum sint magna frumenta, & caliditas in eis intenditur, & fit quasi assatio. In ætate uero incrementi, quoniam tunc opus est humido, ut crescere possint, ideo indigent pinnae, aut ut irrigentur; & fit elixatio. in seminibus autem fit maturatio, nā omnis res secundum naturam habet principiū, augmentum, statum, & declinationem. & sic etiam est in auro, & argento, & uniuersaliter in omnibus mixtis sunt illæ tres digestiones. & adiungit Albertus satis aperte motum solis & lunæ, quoniam secundum illum fiant quatuor tempora, principium, argumentum, status, & declinatio. Verum est quod in cap. de hepthesis, hoc aliter declarat, nempe distributive. Nam maturationem attribuit seminibus, aliam autem membris carniformibus, tertiam membris radicalibus. In alijs autem locis distribuit digestiones secundum calorem. nam calor tripliciter consideratur, aut in quantum calor est, aut in quantum coniunctus humido aquo, aut ut coniungitur siccо igneo: & sic oīsa afflantur, caro elixatur, membra uero spermatica pepansim patiuntur. & hanc distributionem coctionum non attribuit uarijs spermatibus, sed secundum totum tempus uult illa fieri hoc modo, & attribui illis membris. Atque ita Albertus una uice secundum membra, alia secundum sperma distinguit. hunc uero modum Alberti insequitur Simon Buridanus, Petrus de Aluernia, & omnes latini. Certè mihi magis placet opinio Alberti, quam aliqua ex prioribus: ea tamē non omnino placet. multæ enim sunt aduersus eam dubitationes. Prima est, quoniam dicit, quando calor agit absolute, non cōiunctus humiditatì aqueæ, uel caliditatì igneæ, tunc causari maturationem. Incidit hic dubium, quia calor hoc modo, simpliciter captus, est non associatus alteri. hoc autem uideatur falsum. cum enim quatuor principia, scilicet elementa concurrent in mixto, in quibus sunt qualitates primæ, in nullo tamen eorum reperitur calor agens, qui non sit associatus alteri qualitatib: nam ignis nunquam absoluitur à siccitate, aut aer ab humiditate, quo modo ergo aget calor absque qualitatibus passiuis? Amplius si ista assignatio specierum digestionis est conueniens, & reperiatur in natura, tunc est adhuc alia species præter eas,

eas, quæ dictæ sunt, nam tot sunt species artis, quot naturæ. ergo oportebit reperiri adhuc unam speciem secundum artem ipsius digestionis, aliam ab ijs quæ sunt secundum naturam; & est speciem aliquam digestionis secundum artem, proportionalem illi, quæ est secundum naturam. Credo tamen opinionem Alberti meliorem esse & opinionem primam, & opinionem Alexandri, salua eius pace. Vnde ad argumenta contra Albertum. Ad primum, cum dicitur, calor non absoluitur ab humido uel sicco. Concedo. Sed non sequitur, q̄ calor agat in quantum in humido est, uel in sicco. vnde aliquando fit excessus in actiuis, quandoque in passiuis. non enim oportet, quod actio actiuarum fiat mediata humido uel sicco. neque oportet, quod si aliquid calefiat, id etiā siccetur, aut humefiat. De eo autem quod additur, quod si siccitatibus tres sunt secundum naturam, ita essent tres modi secundum artem. Respondeo dupliciter, uno modo, negando similitudinem; quoniam licet ars imitetur naturam, multa tamen potest natura, quæ nō potest ars: & econuerso multa facit ars, quæ non potest natura facere. nam ars componit hyrcoceruum, & tragelaphum, quæ non potest natura componere. Secunda responso, est quod sunt etiam tres species digestionis artificialis, ac de elixatione quidem & assatione nō est dubium; adhuc tamen est quidam modus digestionis artificialis, qui non est aliquis illorum, ut quando panis est coctus in fornace, tunc non est elixatus nec assatus. & ideo forte cum est arte coctus, tunc est maturatus: Aristoteles autem de hoc mentionem non facit, quoniam res manifesta est ualde.

20

D V B I T A T I O XLIII.

Alia dubitatio, contra Albertum, quoniam Albertus dicit, quod pepansim est in seminibus, elixatio in ætate puerili, assatio autem non. De primo, quod seminibus conueniat maturatio, hoc potest intelligi, uno trium modorum, primo ut quando producitur & perficitur id quod fit ex semine, ut Socr. in matrice: secundo ut semen maturetur in actu coitus, nam non emititur semen nisi prius excitetur calor per mortum: tertio utrunque eorum simul, hoc est tam proiec̄tio seminis, quam etiā generatio in matrice: sed nullum horum uidetur esse ad mentem Aristotelis. ergo &c. Probo. digestio, quæ est maturatione, non potest dici secundum Aristotalem esse in productione seminum, nam digestio illa (dicit Aristoteles) fit in pericarpijs: sed quando uiuens generatur, tunc non fit illa digestio, cum scilicet generatur uiuens illud ex semine: sed digestio est in carne quæ comeditur sine alio cibo, iuxta uerba Aristotelis. Vnde Albertus uideat debere, quod productio fructus sit maturatio. Sed Aristoteles dicit, quod caro continens semina fructum, scilicet quæ comeditur, & est deducta ad hoc ut possit generare siue producere semina, illa est matura: & non dicit quod productio seminum sit maturatio. Profectò hæc materia de digestione adeo inuoluta mihi uidetur, ut non uiderim aliquam inuolutiorem. Dico tamē, quod uerum est, Aristotalem nolle quod pepansim sit dispositio, nec productio seminis; sed maturatio fructum est propriè maturatio. Albertus tamen saluari potest, quoniam homo dicitur maturus, quando potest producere fructum siue semen: quoniam reductus est tunc in eam dispositionem, ut possit generare animal uiuens. Nam ponitur causa pro effectu, & per causam datur intelligi effectus. Vnde maturatio animalis siue uiuentis est causa, quod producatur postea semen, & animal nouum: ideo ponitur causa pro effectu. Et sic Albertus compleat dicta Aristotelis, non autem ei contradicit. Vnde etiā homines maturi & perfecti debent habere calidum temperatum, quoniam natura non assat nec elixat semen, sed maturat.

D V B I T A T I O XLV.

Alia dubitatio. Videtur Albertus non conuenienter assignare assationem esse in ætate iuuenili, in qua abundat calidum, & siccum: & elixationem in ætate infantili: hoc enim uidetur contra Aristotelem, qui in capite de assatione dicit, quod omnis nutritio

E nutritio

nutritio fit per elixationem. si ergo omnis nutritio est elixatio, & in aetate iuuenili fit nutritio, ergo in ea non potest fieri assatio a calido igneo. Secundo etiam dicit Albertus, quod assatio est illa qua nutrit membra radicalia, quia facit hoc calido igneo: carniformia autem nutriuntur per elixationem, sive per digestionem factam per elixationem. hoc non uidetur uerum, nam ossa nutriuntur sanguine melancholico. Vnde quo ad membra radicalia uidetur argumentum procedere, licet defendi posset Albertus, quo ad membra carniformia. Dicere possumus ut dicit Aristoteles, quod omnis nutritio fit a calido, & humido: Verum quod dicitur ab Alberto, etiam ueru est, sed intelligitur comparatiue & non absolute, quoniam nutrimentum iuuenum absolute est humidum; comparatum autem ad nutrimentum pueri est siccum. est tamen in nutrimento magna latitudo: nam uenum & idem respectu unius potest dici assatum, & respectu alterius elixatum. Ad aliud argumentum, ossa nutriuntur sanguine melancholico. Respondeo primo quod forte Albertus errauit. Secundo dico, quod licet ossa a principio nutrantur nutrimento calido & siccо, quoniam est ignitum ratione caloris impressi; tamen in fine procedendo ultra fit frigidum, & ualde siccum & terreum.

D V B I T A T I O X L V .

Alia dubitatio circa dicta Alberti: quoniam dixit Albertus, quod digestio reperitur tam in animatis, quam inanimatis, magis autem in animatis, adhuc magis in iuuenibus, omnium autem maximè in homine. si haec uera sunt, quare ergo Aristoteles dicit digestionem fieri etiam ab unguentis, emplastris, & huiusmodi? quomodo enim hoc stabit, si propriè est hominum, aliae autem sunt brutorum & inanimatearum? Dico ut habetur quinto metaph. quod non semper ea qua traduntur in scientia, sunt æque prima & propria; immo aliqua secundum rem & naturam aliquando dicuntur priora, quæ tamen secundum nostrum modum cognoscendi non uidentur ita propriam, quia nobis sunt ignotiora & uisa minus propria: narrauit enim Aristoteles hanc rationem, ratione doctrinæ, non quia in re ita sit. non enim semper obseruatur ordo naturæ, sicut nec hoc in loco obseruatur ordo naturæ, sed ordo doctrinæ: nam ea dicuntur magis propriè hominibus conuenire, quæ omnibus sunt notiora, quam alia.

D V B I T A T I O X L V I .

Alia dubitatio & maxima. quoniam Aristoteles diffiniens digestionem in ultimo dicte, quod est perfectio ex proprio & naturali calido ex oppositis passiuis: postea autem diffiniens elixationem & assationem, dicit quod sunt a caliditate aliena. Ista autem dicta non uidentur conformia. Quicquid enim uniuoce dicit de generatione, uniuoce est dici debet de specie, per regulam ante prædicamentalem. Nam quando alterum de altero prædicatur ut de subiecto, quæcumque de eo quod prædicatur, dicuntur, omnia de subiecto dicuntur. sed, fieri a calore nativo, prædicatur de digestione. ergo & de omnibus subiectis dicitur, quæ sunt eius inferiora, scilicet elixatio & assatio. sed inquantum digestiones sunt, sunt a calido nativo; inquantum autem elixatio & assatio sunt, sunt a caliditate aliena. ergo opposita dicetur de eodem. Secundo quoniam in omni operatione naturali est agens & pasuum: sic in digestione erit aliquid agens: illud autem agens assignatur calor naturalis. quare ergo cuius erit ille calor naturalis? aut enim erit digerentis, aut digesti, aut utriusque. sed nullum horum trium dici potest, ergo &c. non digesti, qm nihil alterat seipsum, primo & secundo de generatione, cum nihil agat in seipsum. neque etiam digerentis, quoniam sic assatio & elixatio non erunt species digestionis, cum fiant a calore extrinseco. nec etiam hic calor erit utriusque copulatiuè, quoniam, qui destruit unam partem copulatiuè destruit totam copulatiuam destructum. autem est digestio nem fieri a calore digesti corporis: ergo non fiet a calore utriusque. Relinquitur ergo solùm quod fiant a calore proprio rei digerentis & extrinseco rei digerendæ. Quod si uerum

in quartum Meteor. Arift. 26

uerum est, Cur ergo appropriauit elixationi & assationi, quod fiant a calore alieno? & sic, quomodo elixatio & assatio erunt species digestionis, cum digestio fit a proprio calido? Hæc quæstio est difficilis. Alexander nihil dicit. Olimpiodorus non habetur tractatus. Quid dicant latini, uos uidere potestis. Ego igitur dabo unam responsonem, quæ si bona non fuerit, inuenietis uos meliorem. Dico ergo in sequendo Albertum, quod digestiones distinguunt secundum modum caloris: aut enim calor consideratur in se: aut coniunctus humido aquo, uel calido igneo. Posita hac distinctione, dico Aristotelē optimè dixisse. Et quando arguis, digestio fit per calorem naturalem. Dico hoc uerum esse in digestione naturali, quæ fit in corpore; huius enim est diffinitio data de digestione: non autem uerum est in digestione, quæ vocatur assatio & elixatio. fiant enim assatio & elixatio a calore alieno, si artificiales sunt. diffinit autem Aristoteles hic assationem & elixationem artificiale, non autem naturalē: quæ enim naturales sunt, fiant a caliditate naturali: ars autem imitatur naturam quantum potest, secundo phys. septimo, & 12. metaph. sed ars facit illa per extrinseca, quæ natura facit per intrinseca. Si dicas, Cur Aristoteles non diffiniuit etiam naturalem assationem & elixationem? uidetur ergo quod fuerit dimisimus. Dico, quod diffiniuit solum artificiale, quoniam illa notior est nobis quam ea quæ est naturalis. presupponit autem ex prioribus dictis etiam naturalem esse notam. Ad secundum argumentum, quod maximè nos urget, quod in omni facta digestione id sit uel a caliditate intrinseca digerentis, aut a calore digesti, uel ab utroque simul: Certe hoc uidetur esse commune unicuique digestioni, sive naturali, sive artificiali, ut fiat ab extrinseco digesti, intrinseco autem digerentis. Quare dicant alij quod sentiunt: Dico ego, quod motus naturalis non distinguitur ab artificiali, nisi quia naturalis fit a principio effectuō intrinseco, ut dicit D. Thomas, & Burleus in principio secundi phys. artificialis autem fit a principio extrinseco. Vnde motus naturalis dicitur a principio intrinseco, sed in motu artificiali transmutatio in forma non ideo dicit artificialis, quia fit a principio extrinseco, uel intrinseco, sed quia neutro modo. nam in naturali passum inclinatur in eam formam quæ introducitur: in artificiali autem non inclinatur uel in hanc uel in aliam, sed est neutrum omnino. Nam materia scanni non inclinatur ad scannum magis, quam in aliam formam artificialem; in naturali uero naturale actuum inclinatur ad naturale passiuum, & è conuerso passuum in actuum. Artificiale autem fit a principio omnino sibi alieno, quia non est in eo inclinatio aliqua ad ipsum. Vnde in naturali non est principiū simpliciter & omnino alienum ut in artificiali, in quo simpliciter agens dicit alienum ipsi passo. Sic in praesenti loco dicimus, quod digestio propria naturalis dicitur, non quia fiat a principio intrinseco, sed quia hoc est proprium digerenti, ut talem operationem faciat, & inclinetur in illam, scilicet quod digerat & in sui substantiam transmutet, & propter se: ut, quod ego comedam, est per proprium principium, quoniam calor naturalis inducendo famem facit ut comedam, & concoquam cibum, & restaretur deperditus, & ut calor naturalis se ipsum conseruet. Et quod ita sit, uidemus, quod natura ordinavit sibi instrumenta propria: fit enim in stomacho, in hepate, & in uenis, & membris, licet hoc non reperiatur in artificialibus: non enim fit a calido, quod fit sibi proprium, nec in uase & instrumento proprio. Vnde habetur in 5. metaph. quod quando homo fit ex sanguine menstruo, agens sibi appropriat suum passum ut licet ibi uidere in capite de natura. Ad propositum, motus naturalis non dicit, quia habeat principium effectuum intrinsecum; immo principium eius effectuum est extrinsecum, ut habetur capite primo secundi phys. sed digestio dicit eam ob causam naturalis, quoniam fit per instrumenta propria deputata ad eam operationem a natura, ut habetur quinto metaph. cap. de natura. & ab Auicenna secunda tertij. Vnde, cum dicimus animalia fieri a principio intrinseco, non intelligitur quod agens agat in se; sed quia agens & patiens sunt simul, & quasi continentur ad inuicem, ut agens conuertat passum in naturam suam. Ad propositum ergo nostrum redeundo, dicimus, quod digestio fit a calore extrinseco, qui tamen est in re digerenda: non quidem ut forma in subiecto; sed tanquam res ei appropriata & accommodata, quæ continentur & continuatur illi rei. calor enim in re digesta non concoquit se; sed ca-

Petri Pomponatii dubitationes

Item stomachi est calor rei digerentis: est tamen etiam calor rei digerendæ, ut ei continuus, & aptus ut ex illo cibo augeatur & nutritur calor naturalis. Est autem calor naturalis in stomacho, tanquam forma in subiecto: & sic etiam poterit dici esse in re digerenda, non tanquam forma in subiecto; sed tanquam principium principians & restaurans se ex illo, & qui illi conformis, appropriatus, & continuatus est, & agit per propria instrumenta deputata sibi ad hanc actionem à natura. At in transmutatione artificiali est totum oppositum, cum tota sit ab extrinseco. Ad argumentum ergo in oppositum, formaliter responderetur, quod calor naturalis rei in digestione, est intrinsecus rei digerentis, tanquam forma in subiecto, rei autem digestæ tanquam continuatus sibi & proportionatus per propria instrumenta: in artificiali autem digestione non sic: quoniam calor est ex toto alienus rei digestæ, & omnino est extrinsecus, & nullo modo ordinatus ad hoc ut digeratur digerenda res: non solum quoniam est distinctus à re digerenda; uerum etiam quia non sunt propria instrumenta ad illam operationem; sed omnino est extraneus illi. Et sic potest responderi tenendo modum dicendi Alberti, quod species digestionis distinguantur penes modum agendi. Potest autem etiam alio modo responderi, ut responderet Dominus Lazarus, nescio an ex Olimpiodoro, an ex alio id habeat. dicit autem, quod pepans omnino fit à calore intrinseco, elixatio autem & assatio omnino fiunt à calore extrinseco: nam solum in fructibus est pepans, ut ipse dicit esse de mente Alexander, licet meus Alexander id non habeat. Et quando argumentatus sum contra Alexandrum, quod sicut pepans fit à caliditate intrinseca, sic etiam debet esse in alijs duabus: & sicut assatio fit à caliditate extranea, ita pepans deberet fieri à caliditate extranea: non enim est maior ratio de una, quam de alia. Dat ipse responsionem multum subtilem pro Alexandro, quod omnis digestio fit à calore intrinseco digerentis. cum autem quæris de differentia, quam habent illæ tres species; dico quod omnes sunt à calore intrinseco digerentis; sed elixatio fit à caliditate intrinseca digerentis, & extrinseca rei digestæ. nam in elixatione est caro & aqua, quæ loco & subiecto distinguuntur ab inuicem: & sic etiam dicatur de assatione. in pepansi autem aliter res se habet, quoniam illa fit à caliditate intrinseca, tam rei digestæ, quam rei digerentis: nec distinguitur digerens & digestum loco & subiecto, ut in alijs duabus. fructus enim digeritur ab anima: digestum autem est materia aquæ, licet digestum non sit digerens. Vnde quanvis anima, & humidum illud, non sit realiter idem; tamen sunt simul, quoniam anima est in ipso ut forma; in elixatione uero agens, & passum omnino sunt loco & subiecto distincta. Nam aqua loco & subiecto distinguitur à carnibus. in fructibus autem digerens est intrinsecum rei digestæ, quoniam se habet ut forma in materia, siue in subiecto. Hæc responsio fortasse ad mentem est Alexandri; mihi tamen non placet, nec uidetur ad mentem Aristotelis. primo, quia non uidetur pepans esse solum in fructibus: immo sicut tunc fructus dicuntur digesti, quando sunt comestibiles, non autem antea; ita ego dicam, hoc idem in animalibus. Nō enim dicam agnum, aut capreolum digestum esse, cum mox nati fuerint, aut post octo dies, cū non sint comestibiles; sed in unoquoque illorum requiritur determinatum tempus. Secundo ualde mirabile esset, quod Aristoteles tantus uir in tam paucis verbis aliud, & aliud intelligeret, & aquiuocaret in terminis: ut in diffinitione pepansi sumat calidum pro calore digerentis; in alijs uero duabus sumat pro calore rei digestæ. Et si obijcas dictum Auerrois, quod Aristoteles non multum curat de nominibus. Dico Auerroem, & qui hoc sentiunt, maximè falli. Tertio. uidetur, quod hæc dicta contradicant Aristoteli, quoniam Aristoteles 3. phys. cum ponit differentiam inter motum localem & alterationem, dicit quod idem potest se mouere localiter: sed alterans loco & subiecto distinguitur ab alterato. Et licet Gentilis teneat oppositum, tamen eius opinio non est ad mentem Aristotelis. cum nihil alteret se ipsum, ex primo de generatione. atque alterans & alteratum debeat esse loco & subiecto distincta; licet in motu locali possit idem esse mouēs & motum. Ulterius dicit Aristoteles, quod apostemata matura fiunt ab emplastris, oleis, unguentis, & sæpe à calore ipsius continentis, & extrahens, ut patet in cap. de pepansi: & tamen illa maturatio non sit à forma intrinseca illi. Præterea non credo hanc opinionem esse ueram, quoniam cum

in quartum Meteor. Arist.

27

cum fructus maturantur, tunc maturatio fit per digestionem, nutrimentum enim attrahit ad illos; & ibi fit segregatio rerum superfluarum, & attractio earum quæ nutritiunt, & frumenta perficiunt; quod tamen nutrimentum distinguitur re, loco, & subiecto.

D V B I T A T I O XLVII.

Alia difficultas est, quoniam philosophus in cap. de optesi dicit, quod quædam sunt species digestionis secundum artem, quædam autem secundum naturam. & assignat rationem, quoniam ars imitatur naturam: & nihil referre ait in optesi siue arte fiat, siue natura. ita, quod uidetur esse idem modus digestionis. Dubitatur autem hic super ea parte, qua dixit Aristoteles, quod eadem sunt species, siue arte fiant siue natura. hoc enim uidetur falsum. Primo quoniam, quæ non sunt eiusdem generis, non possunt esse eiusdem speciei: sed hæc, quæ fiunt ab arte, ut artificiales digestiones, non sunt eiusdem generis cum naturalibus: ergo nec etiam sunt eiusdem speciei. Diuersorum enim generum diuersæ sunt species & differentiæ. artificialia autem & naturalia sunt diuersorum generum, cum naturalia fiant à principio intrinseco; artificialia autem à principio extrinseco. Secundo, quæ naturalia sunt in prædicamento substantiæ, artificialia autem in prædicamento accidentis, ut habemus 12. metaph. cap. 13. Vnde etiam dicit Comment. 8. Phys. cap. 46. quod ea quæ sunt genita ex propagatione seminis, & ea quæ gerentur ex putredine, non sunt eiusdem speciei, & tamen illa ambo sunt naturalia. quanto magis ergo differunt ea, quæ sunt artificialia à naturalibus? cum maior uideatur esse conuenientia inter naturalia & naturalia, quam inter naturalia & artificialia. Tertio. quorum principia per se distincta sunt, & diffinitiones sunt distinctæ, illa non possunt esse eiusdem speciei. sed artificialia & naturalia habent diffinitiones, & principia per se distincta: ergo &c. Maior uidetur esse notissima, quoniam ea, quæ habent diffinitiones & principia distincta, illa sunt distincta per se. Minor probatur, quoniam artificialia fiunt à calore extraneo, & habent aliam diffinitionem quam naturalia, quæ fiunt à caliditate naturali & innato. Quarto pepans secundum naturam est nota: at quæ nam est pepans secundum artem? certe non video, quæ nam hæc sit. Item assatio artificialis est nota, sed assationem naturali assignare est difficillimum. Viderur ergo quod non sint eadem species illæ, sed quod sit maxima differentia inter illas. In hac quæstione ego multum dubitaui, nec inueni aliquem qui eam moueret aut solueret. Quid ad eam dicendum sit, difficile est inuenire. Ego dicerem, quod propriæ non sunt eadem species secundum artem & secundum naturam. Sed si hoc dicit Aristoteles, intelligitur secundum imitationem, sicut homo piatus imitatur hominem uerum, & uterque homo dicit. & hoc uiderur conuenire cum dictis Alberti, qui dixit has species uerè reperi secundum naturam, & similitudinæ. Dicimus ergo quod per imitationem sunt eiusdem speciei. Sicque possumus duobus argumentis respondere. Hoc ergo prima facie uidebatur dicendū. Tamen cum penitus rem inspicio perscrutatus sum; non uidetur mihi satisfacere. Viderur enim negandum, quod eadem species sit illa quæ sit ab arte & ea quæ sit à natura. Sed contra. Aristoteles in septimo met. text. 29. dicit quod eadem est sanitas, quæ fit per artem & ea quæ fit per naturam, & etiam aliquando à casu: ut de eo qui habuit bubonem, cumque alter casu proiecens lapidem tetigisset bubonem, eo aperto ex iunctus tandem sanatus est & ab apostemate liberatus. Deinde. quis negare uelit triangulum factum ab arte esse eiusdem speciei cum illo qui factus est à natura? Non tamen dico, quod omnia quæ fiunt per artem, fiunt per naturam. quoniam Aristoteles ibidem, septimo met. dicit domum fieri posse per artem non autem per naturam: multa etiam fiunt per naturam, quæ fieri non possunt per artem: sed dico, quod licet illa elixatio & assatio sint secundum imitationem, tamen sunt uere elixationes: nam dicit Aristoteles in text. hæc uerba sunt autem, dicens, species uniuersaliter eadem & non, similes enim quæ fiunt passiones, licet innocentiae: imitatur enim ars naturam &c.] Vnde licet sint secundum imitationem, tamen sunt uere digestiones, ideo uidetur prædicta responsio non esse bona. Quare dicam

E 3 ego

ego aliter : concedendo , quod eadem species sunt & illæ quæ fiunt arte , & illæ quæ fiunt natura . Ad argumentum , cum dicis unum fieri à principio intrinseco , alterum ab extrinseco : dico quod ambæ fiunt ab uno principio , nam exépli causa , cum sit sanitas ab arte & sanitas à natura ; sint duo corpora , unum sit corpus ualde delicatum & febriat , alterum sit corpus rustici assuetum laboribus & cibis grossis , ille delicatus sanetur arte adhibendo medicum ; alijs autem sanetur natura , quoniam pauper est : considerandū est in utroque quid sit quod sanet , & inueniemus in utroque , quod natura sanet , etiam si medicum adhibueris : nam medicus non sanat , sed natura ; medicus autem naturam adiuuat , hic uero solum administrat & applicat actiua passiuis . atque ita natura est causa effectiua per se illius effectus & uera: medicus autem adiuuat naturam , & est causa per accidens: omnium enim horum operatrix est natura , medicus uero minister , teste Galeno in tertio techni . Vnde medicus est causa accidentalis sanitatis , natura autem est causa principalis & propria . ita etiam de circulo & triangulo factis per naturam & factis per artem . Sicut ergo sanitas utraque introducitur ab eodem principio , scilicet à natura . & ambæ species figurarum producuntur per se à natura , per accidens autem una fit ab arte : Sic etiam de elixatione dicendum est . Nam ebullitio illa in lebete , quæ fit à calore ignis , fit à natura : ignis enim naturaliter agit in aquam , calefaciendo : quæ ebullitione sua elixat ea , quæ impoundantur . Quare artificialia si in quantum talia , id est in quantum exprimunt conceptum artis , & in quantum naturalia considerantur , quatenus exprimunt conceptum naturæ ; sic bene differunt inter se : sed quia fiunt ab eodem principio intrinseco , sic non differunt . Vnde circulus factus ex ferro , & alijs à natura , crescat sic , ut fiat natura aliquid circulare ; illi duo circuli quo ad principia intrinseca sua sunt eiusdem naturæ , sed quo ad extrinseca agentia sunt bene cauata à diuersis agentibus , quoniam unum est ab arte , & alterum à natura . sic sanitas artis , & sanitas naturæ in quantum sunt à diuersis principijs extrinsecis , bene differunt , quoniam una fit ab arte , & alia à natura : Sed quo ad principium proximum , non differunt ; quoniam tale est unum & idem : & siue proportio humorum fit causata ab arte , siue à natura , semper natura est causa immediata per se , & uera sanitatis : quomodounque sit introducta in corpus nostrum . neque , quod agens sit applicatum pafso , siue à sole siue ab igne sit , siue à natura siue beneficio artis & medici , hoc refert , est n . causa per accidens ars , & medicus , & non per se . Ad argumentum aliud de genitis ex putredine & propagatione semenis concedendo pro nunc illud : dico tamen , quod quantum ad principia intrinseca , & proxima , minor est falsa , quoniam non magis conuenient genita ex putredine , & à semine quam naturalia & artificialia . Et sicut naturalia & artificialia quo ad principia intrinseca conuenient ; sic etiam ea quæ ex semine gignuntur , & ea quæ ex putrida materia . differunt tamen quo ad principiis extrinseca . Vel dico quod falsa est minor : Nam alia ratio est de illis quæ gignuntur ex putrida materia ; & de ijs quæ generantur ex semine ; quoniam habent alias causas proxima , licet utrumque fiat per naturam . at genita à natura & genita ab arte habent alias causas remotas , sed eandem proximam . sanitas enim facta ab arte in ciue laborante febre colerica , fit à medico ; altera uero in rustico eadem febre laborante fit nullo alio adminiculo , nisi natura : causatur tamen in utroque proportio humorum , quæ est uera causa , immediata , & per se , & proxima sanitatis . proxima autem causa genitorum ex putredine est putris materia cum tali influentia solis uel aliorum astrorum , & dispositione loci in quo fiunt . eorum autem , quæ fiunt ex semine , semen est cum mare & semina . maior est ergo differentia inter hæc duo naturalia , quam inter ea , quorum unum est à natura , alterum ab arte quo : ad principia scilicet intrinseca , & proxima . Ideo argumentum licet uideatur ualde apparent , tamen nihil ualeat . Ad aliud argumentum , ea quæ non habent eandem diffinitionem , non sunt idem : Sed elixata per artem fiunt per calidum intrinsecum , &c . Dico primo secundum Alexandrum hoc argumentum præsupponere falsum : quoniam tam elixatio artificialis , quam naturalis fit à principio intrinseco . & sic facillimum est respondere , si quis teneret opinionem illam , negando solum minorem ; quia fit per principium intrinsecum rei digerentis , & extrinsecum rei digestæ : Et hanc ultimam partem tenet Albertus in cap . de pepansi . Si autem

autem teneamus , ut etiam tenemus , contra Albertum , quod Aristoteles diffiniuit has duas digestiones artificiales , ut distinguntur contra naturales : sic secundum nostra dicta facile est respondere : quoniam , quo ad principia proxima conueniunt , quo ad remota differunt : & sicut elixatio fit in lebete ; ita & in corpore humano fit concoctio ciborum , quæ est etiam similis hepse : Vtrunque autem horum fit à principio intrinseco eodem , sci licet à calido illo igneo , quod receptum est in aquam . quod autem ab extra humidum in homine calefiat ab nativo calido regulato à natura scilicet ab anima nostra , aqua autem ab igne extrinseco , hoc est , quo ad principia extrinseca : & sic bene differunt , & distinguuntur . sed hæc sunt principia remota , & non immediata . Et sic considerando in ordine ad principia proxima , sunt eiusdem speciei ; sed quo ad principia remota ; sunt diuersa rum specierum . Ad ultimum autem argumentum , cum queris , quæ sit pepansis per artem & quæ optes secundum naturam ? Dico , quod hoc non conuenit , cum dicis . hoc est secundum artem , tale ergo etiam est secundum naturam . neque è contra , hoc est secundum naturam : ergo est secundum artem . neque enim sequitur , illæ sunt secundum artem species , ergo etiam sunt secundum naturam . Vel dicatis quod coctio panum in fornace est pepansis , cum sunt mediocriter cocti , quoniam non est elixatio nec assatio , ut superius etiam diximus . Cum etiam queris , quæ sit assatio per naturam , Albertus respondeat , quod est in iuuene respectu aliarum ætatum , in uno modo quo distinxit illas dispositiones . secundum autem alium modum Alberti , quo distinxit secundum diuersa membra ; est in diuersis membris radicalibus : ut , in multis membris corporis , quæ sunt cholericæ , torretur cibus , & excitantur fumi , quemadmodum in pulmone quod est membrum ualde cholericum , quod nutritur sanguine etiam cholericæ . & multo magis mihi placet hæc responsio , quam modus dicendi Alexandri , sicut etiam superius dictum est .

D U B I T A T I O X L V I I I .

Alia dubitatio . Vtrum digestio in mixtis inanimatis sit uera digestio , sicut illa quæ in mixtis animatis ? Secundum Aristotelem uidetur quod non . quoniam in omnibus illis capitibus , ubi de digestionibus artificialibus loquitur , semper exemplificat de inanimatis ; ideo uidetur , quod digerant solum metaphorice . In oppositum autem arguitur . Nam cui conuenit propriæ diffinitio , illi conuenit diffinitum propriæ . Sed sic est in proprio . ergo &c . Probatur minor , quia in utroque mixto est perfectio caloris proprij & innati in oppositis passiuis ; ut in auro , & argento , & in omnibus mixtis . Videtur enim , quod diffinitio digestionis omnibus conueniat . Hoc idem uidetur esse de mente omnium philosophorum , & expositorum , & maximè recentium , incipiendo ab Auerroe , qui in quanto phys. ponit omnia mixta generari à caliditate naturali . similiter Vgo , Gentilis & omnes moderni latini ponunt mixta inanimata gigni per digestionem . Hæc materia est difficultima , mihi tamen uidetur dicendum , quod nomen digestionis primò sumptum sit à uuentibus . nam animal dicitur digerere , quando præparat aliquid pro fine suo , quæ est nutritio ; ita quod illud digestum fiat pars animalis , & ipsum animal aut restauretur aut ageatur , uel ad minus nutritur : non enim omnium unus est finis , sed aliqua conuenient nobis ad escam , aliqua ad potum & sorbitonem . digeritur enim hoc ut appareat ad finem intentum . & quia secundum consuetudinem propriæ sumptum est uocabulum ab animalibus digerentibus , & tunc fit à calido proprio in oppositis qualitatibus passiuis ; ideo quantum est ex impositione nominis , tunc propriæ digestio dicitur illa , quæ fit in animalibus . sed quia secundum similitudinem etiam sic se habent alia ; ideo alia etiam dicuntur digeri , sicut aurum dicitur digeri quoniam per suum calorem agentem præparatur ad suscipiendum formam : dicitur tamen digeri secundum similitudinem ; non autem ex impositione nominis . digestio autem ex significatione nominis significat solum illam quæ est in animali , sed per similitudinem quandam in alijs etiam est inanimatis . Est ergo facile respondere . Nam diffinitio digestionis uerè & propriæ dicitur de animatis & inanimatis , quoniam ambæ sunt uera digestiones , cum utraque fiat à calore proprio , & in-

Petri Pomponatii dubitationes

nato, ex oppositis passuis. Hęc ergo diffinitio competit utriusque. Ex alia tamen parte semper Aristoteles dat exempla de digestione metaphorica, & in inanimatis, ergo uidetur esse contradic̄tio in dictis Aristotelis. Ego in hac dubitatione multum laborau. ac non equidem dubito in ijs quę dixi; quod scilicet prima nominis impositio sit in animatis, licet etiam de inanimatis dicatur, non primi, sed tantum transumptiue. uerū quare Aristoteles exemplificauerit metaphoricum in inanimatis. dico, quod quando diffiniuit digestionem in communi, diffiniuit eam ut conuenit animatis & inanimatis. cum uero diffiniuit species eius, tunc diffiniuit eam ut conuenit proprio uocabulo & ei appropriato: reuera tamen est in animatis; quoniam non est maturatio nec assatio nec elixatio nisi in ordine ad animal: nec dicimus aurum assatum, uel elixatum. in communi ergo diffiniendo accipit digestionem large: diffiniendo uero species, magis strictè loquutus est. Sed uideamus an hęc responsio sit bona. Nam, si quando Aristoteles diffiniuit digestionem in communi, diffiniuit eam quę conuenit & animatis & inanimatis: & quando diffinit tres species digestionis, uidetur tunc diffinire solum in quantum conuenient animatis; nullus enim dicit aurum assatum esse uel elixatum; ergo uidetur, quod diffinitio digestionis in communi extendat se ad ea, ad quę non extendit se species, & sic species non euacuabit totam essentiam generis, cum in speciebus sumatur strictè, in genere autem magis largè. genus enim dicitur tam de inanimatis quam de animatis, quod non erit de speciebus. Ad hoc non dico, quod impossibile sit Arist. accepisse aliter in genere quam in speciebus. id tamen non credo, cum species debeant declarare naturam generis, quod non fiet, si aliter sumantur genus, & aliter species. Ideo fortè aliter est respondendum. Pro quo est notandum, quod Aristoteles in quinto metaph. cap. de natura in text. quinto, dicit quod inanimata non dicuntur nasci, sed generari: nec inanimata dicuntur mori, sed corrupti. sic enim est in nostra consuetudine loquendi. Quærens autem rationem huius, dicit quod nisi aliquid fiat à natura, & à principio intrinseco, non dicitur nasci & mori: & quoniam uiuentia generantur à principio intrinseco, non uiuentia autē sunt à principio extrinseco; ideo uiuentia dicuntur nasci & mori. Et si arguis, nullus nascitur à seipso: quomodo ergo nascitur à principio intrinseco? Dico, quod Aristoteles non intelligit per principium intrinsecum, actuum & passuum: sed unionem & compactionem quandam feminis cum sanguine mēstruo. Vnde principium actuum & passuum non sunt idem, sed distantia. Dico ergo, ut dixit Aristoteles, quod animata fiunt à principio intrinseco, id est quod simul cum illo est compactum, adunatum, atque incorporatum; semen enim maris & foeminae mutuo se recipiunt, & uniuntur, atque coniunguntur, & omnino incorporantur per compactionem, & unionem: & sic unum dicitur intrinsecū alteri, & non aliter. non dicitur autem intrinsecum, id est, quod sit idem: sed intrinsecū, id est, incorporatum. quia ambo requiruntur, ut unum intret alterum, & uniatur cū illo, ut fiat unum. hoc autem non fit in inanimatis, nec in ijs quę arte fiunt. quę enim non nascuntur, non fiunt hoc modo; & propter hoc non dicuntur nasci. Quo stāte, dico, quod Aristoteles diffiniuit digestionem propriè, quę solum conuenit rebus animatis, non autē inanimatis. Et si dicas, in animatorum digestioni conuenit diffinitio, quoniam est perfetto in naturali calido. Respondeo negando, quod sit ibi proprium & naturale calidum. nam non est sibi intrinsecum principium, ut est in uiuente animato, ut diximus. Consistit ergo responsio in hoc, quod eodem modo diffinit genus, & diffinit speciem. Et cū arguis. contra, in animatis proficiuntur à proprio calido &c. dico, quod per principium intelligit principium actuum, ipsi passo appropriatum, & intrinsecum, quo carent inanimata, ut dicit Aristoteles in 5. metaph. & sic dico, quod intellexit de digestione animalium. Si autē dicas, nostri latini aliter intelligunt. mea nihil interest ut ipsi suo modo intelligent: ego autem meo modo intelligam. Hęc tantum de hac quęstione.

D V B I T A T I O X L I X.

A Liud dubium. Quoniam dixit Aristoteles in principio huius cap. quod ea, quę digeruntur, omnia in fine fiunt grossiora: super hoc oritur communis quęstio, an omnis

in quartum Meteor. Arift. 29

nis digestio ingrossando procedat. Primo arguitur, quod non. quoniam ista propositio est falsa discurrendo per singulas species digestionis. Nam primo licet in maturatione, quę est in fructibus habentibus testam, sive durum corticem, hoc habere uideatur ueritatem, quod procedat ingrossando; tamen in alijs multis non uidetur hoc esse. quamvis enim auellanæ, amygdalæ, & nuces maiores primo sint teneriores, postea autem efficiatut grossæ & duræ; tamen in alijs fructibus uidetur praeceps oppositum, ut in mespilis, & sorbis, & pyris, & pomis, quę omnia in principio sunt dura, in fine autem teneriora fiunt, & ualde mollia. Ideo dictum Aristotelis uidetur falsum. Similiter dicunt experimentatores, quod fructus illi sine cortice, ut pyra, & poma, sunt multo grauiora cum sunt immatura, quācum sunt matura: quoniam immatura plus habent de terrestreitate quam matura. cum enim hi fructus sunt maturi, descendunt in aqua; cum uero sunt maturi, non amplius submerguntur. Ego hanc rem non sum expertus. Sed si res ita se habeat, ut dicunt illi, tunc male diceret Aristoteles in textu, quod ex spumosis fiunt aquæ, & ex aquosis terrea: magis enim fieret oppositum, cum fiant in fine dulcia. Item in elixatione, hoc non uidetur uerum: nam aliqua est elixatio secundum artem, alia est secundum naturam. Sed in elixatione secundum artem procedimus subtiliendo: ergo etiam in illa quę sit secundum naturam. hoc autem probatur: nam carnes in fine elixationis sunt magis molles quam in principio, cum sunt adhuc crudi. & præterea carnes coctæ minus ponderant carnibus non coctis. Ulterius, in digestione naturali, hoc idem uidetur mihi eueniire, quoniam cibi, ut caro, pisces, & huiusmodi, quam multa digestione in stomacho conuertuntur in natu-ram certam, quę ptisanæ hordeaceæ similis est, priusquam coquantur, sunt cibi grossi; po-stea autem conuertuntur in substantiam liquidam fluidam, omnino ptisanæ similem, ut li-cet uidere in anatomia, cum in cadaveribus stomachus inciditur, tunc enim appetet chy-lus humidus, fluidus, longè subtilior & magis liquidus, quam fuit panis, caro, pisces, & alij cibi ante digestionem: ergo digestio procedit subtiliendo. Ulterius. hoc etiam appa-ret in assatione: nam cum assatur pullus, tunc postea multò minus ponderat, quam cū erat crudus. Item, per digestionem fit lac in mammillis ex sanguine: sed lac multo subtilius est quam sanguis: quod patet ex fluxibilitate. Ulterius per digestionem ex sanguine fit spiritus, qui tamen est subtilissimus & insensibilis: sanguis autem ualde sensibilis. fit enim spiritus ex subtilissima parte sanguinis, quam tamen adhuc plus subtiliatur. Deinde sunt etiam argumento maximo medicinæ digerentes, nam Auic. prima primi, summa de uirtutibus, & prima quarti cap. 7. vbi docet digerere humores, in sequens magistrum suum Galenum, dicit quod humores grossi digeruntur per incisiua, ut per syrum aceto-sum, & alia, quę incident materiam, sicut fit in digestione phlegmatis à medicis: cum autem humor est minus subtilis, tunc cum syrups, decoctionibus, & aquis appropriatis ingrossatur: ut in catarrhis subtilibus, procedunt cum papauere, & huiusmodi frigidis: dige-stio enim consistit in quadam æqualitate, cui opponuntur duo extrema, scilicet nimis grossum ex una parte, & nimis subtile ex alia, secundum quod dupliciter recedimus à me-dio. In oppositum autem est Aristoteles, qui in cap. de digestione in declaratione diffinitionis uniuersalis digestionis dicit, qđ ingrossando procedit. Et in cap. de pepasi dicit idem, quod scilicet, ex spumosis fiunt aquosa, & ex aquosis terrestria. Probatur autem & ratione. Nam digestio consistit in æqualitate, quam inducitur per permixtionem humili-dum cum sicco, bene adiuicem permiscendo & agitando: in hac autem bona compositio-ne & commixtione requiritur calor qui uerè permisceat, ut dictum est, multas partes aqueas; qui rarefaciat, & extraheat, consumatque: quo facto, illud quod remanet, magis fit constans, coactum, & grossius; grossum enim remanet, & humidum subtile resoluitur. Hęc quęstio est ualde difficultis, & argumenta ex utraque parte sunt fortia, & au-thoritates magnæ. Nam medici uolunt, quod aliqua digestio fiat subtiliendo, ut in argu-mentis diximus: cum tamen Aristoteles in oppositum loquiatur, uolens quod omnis dige-stio fiat ingrossando. Ego nihil inueni apud nostros philosophos, quod ad huius quęstio-nis solutionem conduceat nullus enim eorum hanc agitauit præter Buridanum (de illis philosophis loquor, qui non fuerunt medici) nam medici de hac multa, & præcipue-

Vgo , qui est ualde nouus . uix enim sexaginta aguntur atni cum uiuaret . Is mouet hanc questionem prima feni primi Can . in summa de uirtutibus . Et quoniam forte ea quæ dicit in prima præfici , illi non satisfaciebant , ideo iterum ea tractat in aphorismis , ibi , Digesta medicari & mouere non cruda &c. Distinguit autem digestionem , in eam , quæ est in iuuatiuo , & in eam quæ est in nocituo . In iuuatiuo dicitur esse digestio , quando natura retinet hoc per se quod digerit , nec expellit illud , in nocituo autem est digestio , cum natura nō potest expellere malum humorem , nisi preparetur aliquo modo antea , & transmutetur in naturam & dispositionem illam , in qua possit postea à naturali calore expelli ē corpore ; & hoc est facere naturam quæ prius fuit inobedient ad expulsionem , obediens : hoc autem fit aliquando ingrossando cūm est nimis subtilis , aliquando subtiliando cūm est nimis grossa . & de hac quæ est in nocituo loquuntur medici , sed non Aristoteles , in iuuatiuo autem , quando natura uult ut restaretur deperditum , & fiat nutritio in nobis , illa procedit ingrossando ; quoniam semper illud quod nutrit est subtilius , & successuē ingrossatur : multa enim membra sunt ualde solida , in quæ tamen nutrimentum conserui debet . Multa alia dicit ibi Vgo , quæ nunc nolo recitare omnia . Tamen hæc responso est falsa , in hoc quod attribuit Aristotelis , quod ille nunquam dixit ; quod in iuuatiuo & nocituo digestio procedat ingrossando . unde dicit quod in tuberibus , & apostematis , & alijs omnibus procedit semper ingrossando . Aristoteles enim expresse dicit opus . Sed non est mirum Vgonem in parua re tam foede errasse , olim namque , immo nō 10 temporibus , non legebantur textrus Aristotelis , sed solum Questionarij , & inuoluto ria ignorantium . Item in lacte & in chylo digestio fit subtiliando , quod est contra illam opinionem . Alia est opinio Conciliatoris in differentia quinquagesima . ubi multa ualde pulchra dicit , & conuenit cum dictis Vgonis de priori opinione , & de digestione illa , quæ fit in nocituo , differt autem ab illa , in digestione quæ fit in iuuatiuo . Limitat enim est , quoniam digestio in iuuatiuo aut est propter nutritionem ; & tunc iterum est cum prima opinione , quod procedat ingrossando : aut non fit propter nutritionem , tuncque aliquando procedit ingrossando , aliquando subtiliando secundum exigentiam ; nam cum ex sanguine generatur lac , tunc fit subtiliando , sic etiam cum ex pane & carnibus mastis in ore fit chylus in stomacho . Hæc opinio est subtilis & pulchra . tamen non est ad mentem Aristotelis , quoniam textus Aristotelis uniuersaliter loquitur , & dicit [omnis digestio] . Has opiniones duas ponit Vgo , & ambas taxat , non enim uidentur illi satis placere . Vnde postea ponit suam , & dicit , quod duplex est digestio : quædam ordinatur in formam substantialem ; quædam preparatur , non ad formam substantialem , sed ad meliorem dispositionem , quæ potest in eo introduci , in quo fit : nam pyra , & poma , cum sunt in arbore , coquuntur à sole ; non ut formam substantialem capiant quam nunc habent ; sed solum maturantur , & ad meliorem dispositionem rediguntur . fit uero aliquando digestio , ut acquiratur noua forma , ueluti cum ex pane fit chylus , ex chylo sanguis , ex sanguine membrum carneum , uel osseum . Tunc ponit tres conclusiones . Prima . Loquendo de digestione in fructibus , quæ non fit ad nouam formam , sed ad perfectius esse , digestio non procedit ingrossando , sed subtiliando ; & per hoc soluit omnia argumenta , quæ induci possunt de fructibus , ut pyris , pomis , ficubus , & huiusmodi . Deinde ponit alias duas conclusiones . & pro hoc notetis quod illa materia , quæ præparatur ad formam substantialem : aut mediate , aut immediate suscipit illam , cum ex pane fit caro , intercedunt multæ aliae transmutationes , & digestiones : primo enim fit chylus : secundo quattuor humores secundum uiam medicorum : tertio humiditates secundæ : ultimo autem digestio , quæ fit ex humiditatibus secundis in carne immediatæ & ultimate , quæ fit in formam substantialem : hæc autem postrema fit ingrossando . cum enim ex rore fit membrum , ror est subtilior quam membrum ; ideo proceditur ingrossando ; ingrossatur enim ror à calore . alia autem digestiones precedentes possunt fieri & ingrossando & subtiliando . Aristoteles autem loquitur de ultima . Hæc Vgo . Tamen Domini mei facillimum est cognoscere errores aliorum , difficillimum proprios . Reprehendit Vgo aliorum errores , & ipse incidit in peiorum . Omitamus enim ea quæ dicit hic , quod scilicet ex humiditate fit

te fit hoc & quod non fiat formæ receptione in totum perfectè , sed imperfectè . Aristoteles in cap . de pepansi dicit , quod in fructibus ingrossando procedit . Huius tamen oppositum dicit Vgo , quod scilicet fit subtiliando . Dicit enim Aristoteles spumosis : & Alexander & alij omnes exponendo illum locum dicunt , quod ex aereis sunt aquei , & ex aqueis sunt terrei . Videte uos cæcitatem huius hominis . Nam reprehenderat Conciliatorem , quia uellet Aristotelem particulariter loqui : & tamen ipse etiam particulariter exponit dicta Aristotelis , uolens Aristotelem loqui de illa digestione , per quam ex rore fit membrum , & non aliud etiam digeratur . Sunt & alij modi , quorum unum recitat Vgo , & fuit Thomas de Garbo Florentini , filij Dini , qui opinionem suam complectitur quattuor cœclusio nibus . prima est , quod , quantumcunque compositum ex humido & sicco sit materia digestionis ; tamen humidum uerè & propriè loquendo est materia digestionis . Et cum legem textum , annotauit ego semper Aristotelem humidum uocare materiam digestionis propriam : neque in hoc male dictum est ; quoniam materia ualde passibilis est ; humidum autem ualde passibile est ; nam dura difficulter mouetur : hinc etiam cor durum dicit , quod nullo modo persuaderi potest , & uulgares dicunt cor saxeum : cor autem molle illi dicunt quod facile mouetur , & persuaderetur . Vult ergo hæc opinio , primò , quod digestio in humido fiat ingrossando : non fit autem digestio de se ex humido tantum , nisi etiam admisceatur siccum : est enim humidum subtile & fluxibile , & per siccum fit grossius : ut si aquam misceas pulchribus . Secunda cœclusio est . Digestio ratione siccii procedit subtiliādo . quoniam si subtilis terram sicciam , & uolueris eam contemperare , impones aquam , & subtilibet . Tertia conclusio , sumendo totam massam , tunc illa compositio fit tam ex humido & ex sicco : ideo aliquando procedit digestio in ea subtiliando , admiscendo humidum : aliquando ingrossando , admimento de humido ; & addendo plus de sicco . Si enim multum de sicco admiscueris , tunc procedet ingrossando : si uero plus de humido , tunc procedet subtiliando . Quarta conclusio (& hanc uolunt esse de mente philosophi) est , quod semper digestio procedat ingrossando : & licet quo ad totum mixtum comparando modo procedat ingrossando , modo subtiliando ; tamen quia propriè & principaliiter digeritur humidum & non siccum , ideo dicitur quod ingrossando procedit , nā humidum digeritur , per admixtionem siccii : cum autem admiscetur siccum , tunc humidum in tali mixtione fit grossius . Et sic uolunt isti concordare medicorum dicta cum dictis philosophorum . Tamen Vgo hic conatur infringere hanc opinionem . & adducit in confutationem eius tria argumenta . Primum est , quod Thomas de Garbo præsupponit falsum , quod scilicet humidum sit uera materia digestionis : non enim uera materia digestionis est humidum solum , sed humidum mixtum cum sicco . Quæ tamen ratio non est bona , sic enim etiam Aristoteles esset reprehendens , à quo ipse habuit hoc dictum , multi enim textus in ea re sunt aperti & expressi . Et ut adducam aliquos locos , unus est in textu 12 . Vbi appellat humidum , materiam digestionis , per quandam emphasim & excellentiam : & ratio est , quoniam siccitas , licet fit etiam ipsa materia , non tamen ita est materia , ut humiditas . Item dicit Aristoteles in litera , quod spumosa sunt humida aqua fa . Item in textu mox sequenti de pepansi , dixit [Hæc autem est materia humida interminata &c .] Est ergo hæc sententia Aristotelis expressa . Item aliam rationem adducit Vgo contra Thomam : quoniam aliquando fit digestio in aliquo mixto per introductionem alterius formæ , alterius scilicet mixti generandi , quod debet esse subtilius quam illud ex quo generabatur . necessario ergo procedit illa digestio subtiliando . ut si comederemus pane in grossum , siccum , ex illo fit ueluti ptisana hordeacea , scilicet ipse chylus , qui est subtilior . Verum hoc argumentum non procedit contra Thomam . nam quod dicitur à Thoma , dicitur per se , in ordine ad unum digestibile , & non in ordine ad plurima . nam sumpta humiditate in pane , respectu illius , digestio procedit ingrossando : Et illa humiditas chyli non est subtilior humiditate panis . Item , si diceret ipse Thomas , quod sumit humiditatem non absoluē , & per se , sed mixtam & coniunctam cum sicco . quis ignorat humidum per se , seu humiditatem per se , esse subtiliorem , quam aliquod siccum aut coniunctum cum sicco ? Item arguit Vgo , non est possibile , quod fiat semper grossius illud , quod digeritur

ageritur; sed bene semper fit aliis modus mixtionis: alium enim habet in pane, alium in chylo. Sed & hoc argumentum soluitur eodem modo, quo prius. quoniam hoc uerū est in ordine ad eandem mixtionem; tunc enim semper ingrossando procedit, sumendo eandem humiditatem & eandem siccitatem: tamen hoc non est uerum in diuersis. Credo ego, licet argumenta Vgonis sint levia, quod tamen opinio Thomæ non sit ad mentem Aristotelis, nec sit in se uera, sed sophistica. Nam secundum Thomam procedit ingrossando, non ratione humidi cum siccō commixti, sed ratione humidi tantum. hoc autem non quadrat Aristotelis, cum in cap. de pepansi dicat, quod fructus in principio sunt spumosi, secundo aquosi, tertio sunt terrei. At in tertia cōclusiōe Thomas nō refert ad mixta, sed ad humidatē trī. quis aut̄ diceret fructus esse humiditatem tantū, cum Arist. non de humiditate tantum, sed de fructibus loquatur? dicit enim in fine Aristoteles, quod omnia digesta, quando digesta sunt, sunt grossiora facta, quām prius essent ante concoctionem. Vnde uidemus Aristotelem loqui de mixtis, & non de humiditate tantū: nisi uellemus dicere, quod figuratè loquatur philosophus, intelligens per fructus, aliquam partem fructuum, uel humiditatem, uel fructus quo ad eorum humiditatem. sed nunquam ego hoc dicerē. Postea etiam re ipsa, ea opinio mihi uidetur sophistica. quia dicit humiditatem fieri grossam ratione siccitatis admixtæ. nam Aristoteles ad ingrossationem dicit requiri non solum admixtionem humidi cum siccō; sed etiam, quod illud humidum exsiccat: quod ille bonus uir non adiungit. Oportet ergo, ut inueniamus aliam uiam ad saluandum ea, quae dicit Aristoteles. Et quanquam Vgo teneat unum modum in prima primi; more tamen boni uiri eam opinionem retractat in aphorismis; & aliam affert, quam tenet etiam Buridanus. nescio autem an ipse acceperit à Buridano, uel quomodo. ea certe quae Vgo prolixis uerbis dicit, Buridanus breuibus complexus est, & melius saluat hic dicta Aristotelis, quam aliquis alius inter modernos. Vnde dicit Buridanus, quod in omni digestione debemus notare digestionem posse æquiuoce sumi. nam quando assumitur cibus in stomachum, tunc primo calor naturalis incipit agere in cibum; tamen non est adhuc propriè digestio ibi; sed sicuti, cum in ligno debet nasci uermis, non mox ex prima mutatione uermis generatur ex ligno; sed aliqua pars lignis prius putrefit, ex qua putrefactione siue materia putrida generatur animal uiuum, scilicet uermis. sic in stomacho animalis primo fit quædam sequestratio partium adiuicem, grossarum scilicet à subtilibus, & quædam mutatio, quae uocatur ab Aristotele maceratio, & non digestio; & illa non procedit ingrossando, sed procedit subtiliendo, quoniam subtiles partes remanent, & grossiores ejus ciuntur per intestina: postea uero ignis siue calor naturalis permiscet humidum & siccum, & facit ingrossationem: & tunc fit uera digestio, quae fit ingrossando: prima enim actio caloris naturalis in cibum, quae fit in stomacho, non est digestio; quoniam digestio est cōpositio, illa autem est sequestratio, & partium ab adiuicem separatio. digestio autem debet esse commixtio & compositio humidi cum siccō: fit enim in oppositis passiuis. & sic soluitur argumentum. & Buridanus hoc dicit aperte, & Vgo etiam est istius sententiae, sed obscurissimè loquitur. Ego autem, quia secundum meam consuetudinem non contentor unquam dicto aliorum, nisi prius rescuerim in ultima, & inuenierim dicta illa non habere aliquid controveneriæ (in philosophia enim non est credendum authoritati sine ratione) ideo afferam alias dubitationes, quas habeo circa hunc dicendi modum. Et licet uideatur hæc opinio conformis dictis Aristotelis, & aperiatur nobis uiam, quia uidemus antiquos in uocabulo digestionis æquiuocasse, & hoc quod Aristoteles uocat digestionē, alios non uocasse digestionem; tamen his dictis non sum contentus. Nam cibus dicitur cibus, qui redactus est ad mediocritatē, in qua consistit digestio: Sicut ergo res digerenda peccare potest in subtilitate nimia suæ substantiæ & aquositate; quare etiam non potest peccare in nimia grossitatem? si autem id quod peccat, debet reduci de grossitate ad æqualitatem, oportet certè, quod subtilietur uerū calor naturalis. nam si cibus aliquis sit nimis grossus, necessario, si debet fieri aptus nutrimento, reducetur ad temperamentum: hoc autem fiet per subtilitatem. ergo si illa præparatio cibi erit digestio; necessario dicimus eam fieri subtiliendo. humectabitur enim ille cibus, & extrahetur nimia siccitas, & inducetur

Inducetur humiditas; sicut etiam potest esse quod aliquis cibus sit nimium aquosus, & ingrossetur per calorem, qui educit magnam partem humiditatis: unde relinquitur tota massa crassior. non enim uidetur maior ratio de uno quām de alio. Argumentum est clarum, & ualidum; & magna est authoritas Aristotelis, & difficile est inuenire, & soluere. Si non dabo bonam solutionem, certe dedi bonam dubitandi occasionem. Dicerem tamen dubitando, & non concludendo, quod si aliquis cibus sit indigetus, & non conueniat digestioni, sed peccet siccitate, nostra sententia per ablationem illius siccitatis non tamen sit aptus ad nutriendum: ad nutritionem enim fiendam, oportet humidum abundare (intelligo autem pro proportione rei digerendæ) id est quod plus habeat de humido, quod humidum secundum aliquam partem sui debet sequestrari à re digerenda, sicut uidemus in semine & sanguine menstruo: semina enim antequam putrefiant in terra, nisi suscipiant humiditatem, non germinant: oportet enim quod prius fiat humida. Namque in tertio meteorol. mineralia sunt ex uapore, cum quo multum est de humiditate. Et propter hoc primo physicorum multi philosophi posuerunt aquam esse principium omnium rerum naturalium. lapides enim in principio sunt molles, & humidi, sed postea indurescunt: & pueri quam diu sunt vicini generationi, sunt molles & tenelli. humidum enim est materia digestionis, dicit Aristoteles. non debet autem illud humidum esse nimis abundans, sed debet esse terminatum. Vnde, quum uolum coquere & elixare artificialiter, oportet nos multum habere de humido, & accipere multam aquam & adiungere igni, quae cum consumitur, oportet adiungere etiam de alia aqua. Ideo ad argumentum dico, cum res calore est exsiccat, tunc calore non potest restituī in pristinum statum, ut humectetur; immo per calorem semper fiet magis siccata. ad hoc autem quod aliqua res digeratur in via Aristotelis, oportet quod ibi multum sit de humido, & per calorem naturalem exhalet humidum, & reducatur ad gradum conuenientem rei, cuius dispositio debet introduci; quod fieri non potest in casu posito in nostro argumento. Ideo Aristoteles prudenter hic loquitur: & laudo ipsum ubi mihi uidetur laudandus. Si hæc responsio uobis placet, laudetur Deus. si non, inueniatis uos meliorem. Certe secundum modum priorem Buridani non possunt aliter saluari dicta Aristotelis. Ad argumentum modo dictum de fructibus, quoniam quando fructus sunt immaturi, tunc sunt leuiores; cum uero maturantur, sunt grauiores: & à principio sunt duiores, cum uero maturantur sunt molliores. licet sit difficile respondere ad hoc argumentum, tamen dicam probabiliter ad mentem Aristotelis, quod fructus primo sunt aerei, & spirituosi, ut exponit Alexander. Videmus enim quod plus succi & uini habet uua matura quām immatura, licet oppositum dicat Alexander: sunt ergo fructus primo spumosi, ut dicit Aristoteles, & ex spumosis sunt aquosi. nam primo, quando sunt flores & incipiunt fructus, tunc calor arboris germinans est satis debilis, & flores nutritur ex nutrimento subtili ualde debili: sed cum sol efficitur fortior, & plus caloris accedit; tūc plus humoris grossi attrahit in arboribus. in Aprili enim fructus nullum habent succum; sed in Iunio, cum calor est fortis, multum succum habent. Sic intelligo dictum Aristotelis. Quod autem sint in principio duiores, hoc bene saluari uidetur ex illis, quae dicit Alexander. nam caro cruda est durior quām cocta, signum enim coctionis est teneritudo. In carne tam cruda plus est humidi; licet durior sit: id autem est, quoniam illa humiditas in carne cruda est inæqualiter sparsa per totum, & non uniformiter, sed quasi latens, & sicut congelata est in aliquibus partibus: congelata autem omnia sunt duriora non congelatis. hac ratione & fructus quoque sunt duiores. non quidem, ob id, quia sunt terrestres magis uel minus; sed quia habent plus de humido inæqualiter sparso. & sic uidetur dicere Alexander, & sic uidentur sonare uerba Aristotelis. Ad argumentum autem de uua non matura quae plus humidi habet & siccii quām uua matura: oppositum autem deberet esse, & matura plus humida deberet esse, cum Aristoteles dixerit quod fructus primo sunt spumosi, secundo aquosi: Dico, dubitando tamen, quod non est æqualitas, quoniam fructus maturi & non maturi non sunt æquali quantitate: sed fructus maturi sunt grossi & magni: cum uero sunt immaturi, sunt adhuc parui: & succi sunt in maiori quantitate & mi-

nori, secundum quantitatem fructuum. Absolutè tamen succus fructuum maturorum est grossior, & est dulcior: uina autem dulcia sunt grossiora, & uinum est grossius quā omphacium: & uina illa tenuia, quae fiunt tēpore Augusti, longē sunt subtiliora, quā illa, quae fiunt in tēpore maturitatis, ut circa festum sancti Michaelis. & ita semper cæteris paribus succi maturiores sunt grossiores non maturis: in non maturis enim humidum non est bēnē permixtum cum terreo, ideo exit tantum aquosum, & parum omnino de terreo: tempore autem maturitatis commiscetur terreum cum aqueo; ideo plus est in uua matura succi; tum quia uua in se creuit in maiorem quantitatem, & est maior; tum etiam, quia terreum simul cum aqueo commiscetur, quod tempore cruditatis non commiscetur. est enim eadem humiditas in uua matura, quae erat & in immatura; sed accedit hoc illud ter-
reum secum admixtum: succus enim uuae maturæ exprimitur ex aqua & terra simul mixtis, quod non fit in immatura. Sic ego responderem. Sunt uero fructus primò leuiores, quoniam primò fructus sunt spumoli, cum ijs parum adhuc insit calor, & sit calor multò debilior: postea uero fiunt grauiores, quoniam calor augetur, & aptus est, non solum partes spumosas, sed etiam aqueas attrahere: ultimò autem non solum aquosas, sed etiā terrestres attrahit, quae postea reddunt fructus semper grauiores: nutrimentum enim fructū semper in principio est subtilius, postea uero fit grossius; ideo cōtinuo ingrauescūt. Quod autem arguebatur de pomis, quae cum non sunt matura, descendunt in aquam, matura autem semper natant. Responder idem Buridanus, quod fructus illi immaturi descendunt, non propterea, quod sint magis terrei; sed quoniam tunc habent humidum aquosum mixtum cum parte terrea: & ratione illius partis aqueæ mixta cum terra, descendunt. Vnde ratione amborum mixtorum simul descendunt. Sed cum matura sunt; tunc expirat aqueū, & remanet terreum: & ideo supernatant, quoniam terra non est sufficiens ad attrahendum deorsum, sicut uas aliquod æneum semiplenum terra in aqua non descendit, nisi ingrediatur etiam aqua. Hic autem esset uidendus tertius liber & quartus de cælo. an fieri possit instantia contra Buridanum, cum aqua in propria sphæra non grauitet, nec leuitet. sed de hoc multa diximus in illis. Nunc tamen dicere ego, quod in fructu maturo sunt multi pori, per quos aer ingreditur, & eos alleuiat: at in immaturis non sunt illi pori, sed sunt illi fructus stipati; ideo tendunt deorsum, quoniam aer extrinsecus non potest intrare, & alleuiare ipsos fructus. & sic responderem ego ad hoc argumentum. Quod uero obiectum erat de carnibus, & omnibus alijs elixatis per artem, quae sunt duriora, quando sunt cruda: Dico, quod hoc non procedit ex paucitate aquæ, sed ex multitudine aquæ, ut iam dictum est in solutione aliorum argumentorum. Quod uero caro cocta sit leuior, hoc est quoniam per decoctionem multum est resolutum de humido, & facta est caro porosa; in quibus poris nunc est aer, qui subingressus est. Ad argumētum, quod ex pane fiat chylus: ergo procedit digestio subtiliendo. Dico, quod non semper, quando commiscetur humidum cum sicco per decoctionem calidi in humido, fit digestio. sed oportet, quod fiat recta & bona commixtio humidi cum sicco. unde in exemplo nunc posito de chylo, non est uera digestio; sed colliquatio quædam, & sequestratio superfluitatum, quae nutritioni non deseruiunt: & non est uera digestio. Ad aliud, cum arguis. Ex sanguine fit spiritus per subtiliationem. dico, quod non omnis sequestratio grossi à subtili est digestio, nisi æquiuocè: sed benè est uia in digestionem; quia, quando grossum sequestratum est à subtili, tunc calor agit in partem subtilem, & bene commiscet illam, & postea ingrossat; & fit tunc uera digestio. Quod uero dicitur de medicinis, quia humor peccans, si est subtilis, ingrossatur; si uero est grossus, subtiliatur. Dico, quod talis non est digestio nisi metaphoricè, tamen conuenit aliqualiter cum uera digestione: quoniam, sicut uera digestio præparat ad formam substancialē; sic ista præparat ad expulsionem. Aristoteles autem loquitur de uera digestione, & non de transumptu. Si hæc dicta uobis placent, placeant sanè. si non, in ueniat meliora. ego certè non credo, quod aliter possit responderi ad Aristotelem. Vnde, si quis bene perspicerit, uidebit digestionem esse commixtionem, & non sequestratio
50 nem. & hæc mihi uidetur uerior opinio, licet Conciliator teneat oppositum.

D V B I T A T I O L.

A Lia quæstio accidit, quoniam Aristoteles dicit quod digesta sunt calidiora in fine quā in principio. an ergo procedat calefactio in digestione, idest an digestio procedat calefaciendo? Et arguitur primò quod non. Experientia enim primo est in contrarium. Nam mustum non est digestum, & tamen est calidius uino: immo est actu calidum ad tactum: & medici iubent in eo imponi membra, quae laborant frigiditate, ut calefiant, & curantur, ut docent experientiae quotidianæ: ergo actu & potentia est calidius mustum.
10 quā uinum de actuali caliditate est manifestum. de uirtuali etiam patet, nam quibibunt mustum, ultra modum calefiunt: & cerebrum post potum musti uidetur agi in gyrum, & æstuare caput: inducit enim ebrietatem. Secundo argumentor, quoniam in apostematis ante statum, sexta scilicet & septima die, plus doloris & caloris est ante digestionem sanie, quā generata & perfecta sanie: Nam in fine, generato pure, non est tanta caliditas, quanta erat antequam sanies generaretur: idest cum sanies adhuc est in fieri, maior est quā cum est in facto esse. Tertio & ultimo, sint duo homines, quorum unus comedat ex fructibus maturis, alter ex fructibus immaturis (hoc autem maxime apparet in illis qui comedunt persica, siue ea, quae ammoniaca nostri uocant) cadant utique in febres: tunc illi, qui comedit indigesta & immatura, incident febres ardentes. ergo signum est
20 quod calidiores sunt fructus immaturi quā maturi. In oppositum tamen est dictum Aristotelis, quod digesta calidiora sunt. De hac questione nihil inuenio dictum ab alijs, ideo difficilis erit respondere. Sustinendo tamen dicta philosophi, credo sic esse dicendum, quod intelligitur de caliditate potentiali, quod digesta sunt calidiora non digestis potentialiter, non autem actualiter. Credo enim actualiter mustum esse calidius uino, ut experientia manifeste docet: & credo etiam quod uinum, quod non ebulierit, sit frigidius uirtute quā mustum; unde & omphacium infrigidat uirtute; sed uinum calefacit: & uinum quod non bulierit, non fit ita forte, sicut bulitum, licet plus dulcedinis retineat quā uinum bulitum. & præterea in musto sunt multæ partes terrenæ, ut acini qui sunt terrei; & sunt etiam multæ partes igneæ; ideo actu calidius est, quia illæ partes, non sunt in ui-
30 no, sicut in musto. Respondeo igitur ad Aristotelem, quod indigestæ calidiores sunt actu; sed uirtute res digestæ sunt calidiores. Nam argumentum de musto concludit loquendo de caliditate actuali, quia mustum fit calidum propter partes multas immixtas, scilicet spiroituositatem; quæ licet non sit calidior, tamen multum perturbat cerebrum, & grana uuarum siue acini qui sunt calidi & terrei & grossi, & potenter caleficiunt mustum. Ideo respondendo dico, quod quo ad partes, quae remanent in uino, mustum plus est frigidum quam uinum, quoniam plus participat de immaturo. Ad argumentum uero de apostemate & sanie, in quibus calor est in principio, dico hoc esse ex extrinseco, scilicet sanguinis aliquis de transmissi ad locum: & ratione motus & agitationis factæ tunc in tali apostemate, in quo stat dolor & calor, quae multi caloris sunt causa, non autem ex se ipso. Ad tertium argumentum de febribus factis ex fructibus immaturis, dico eas esse deteriores; non quia fructus immaturi sunt calidiores; sed quia minor fit in illis concoctio, & minus ex illis convertitur in substantiam nutriti: natura enim non potest illos tam bene regulare, sicut fructus bonos; & conuertere in humorem bonum. ideo sunt magis apti susceptioni putredinis; quoniam calor naturalis non potest obtinere semper uictoram super eos; sed calor extraneus agit in eos, & putrefacit eos. Et sic credo hoc argumentum esse solutum.

D V B I T A T I O L I.

A Lia dubitatio est, quoniam in capite de digestione in principio dicit philosophus de fine digestionis, quod aliquando digeritur res propter formam substancialē acquirendam, aliquando uero propter aliquam aliam utilitatem & commoditatem: & exēplificat de optem uel hepaticum aut putredinem passis: fit enim digestio aut per assatio-
50 nem, aut

nem, aut per elixationem, aut per putredinem: ergo putrefactio erit digestio; & putrefactio erit digeri. Sed hoc non uidetur uerum, quoniam in quarto de generatione animal. cap.8.dicit philosophus contra Empedoclem, quod lac non est pus, quia pus est putredo, lac uero est digestum: si autem lac esset pus, sequeretur quod digestio esset putredo; & digestum esset putrefactum, quod habet Aristoteles pro inconuenienti, cum inter se sint contraria, & maximè op̄ posita. Non enim potest excusari Empedocles, quod scriperit philosophiam poetice, & quod usus sit translatione; mirabilis enim est illa translatio, per quam eius quod debet exprimi, contrarium intelligam. Et qui transferunt, omnes secundum similitudinem aliquam transferunt. Amplius, si putredo est digestio, uellem scire qualis digestio sit? non enim uidetur esse in aliqua specie digestionis, nec in assitione, 10 nec in elixatione, nec in maturatione; & ideo in nulla, à sufficienti numeratione partium. Medici hic maximo certamine litigant. Et Gentilis in sua quæstione de maioritate morbi, multa dicit, & uult quod digestio & putredo non sint contraria secundum omnem gradum; sed se mutuo compatiantur in gradibus remissis, non autem intensis. Vult enim quod sint aliqui gradus, in quibus se compatiuntur, & aliqui in quibus se non compatiuntur. Probat autem hoc tali argumento, quoniam in apostemate non digestio & immaturatio, applicantur à medicis maturantia & putrefactua: medicinæ enim illæ inducunt putredinem, cum sint generatiæ sanie. Et probatur hoc, quoniam in principio non foetebat sanies, in fine autem foetet; ergo non contrariantur absolute, sed solum in certo gradu: ergo una & eadem res potest fieri magis putrida, & magis digesta simul & semel. Hanc etiam opinionem sequitur Vgo tertio techni, quæstione de putrefactione, quæ fundatur in diuerso calore. nam digestio fit à calore naturali, putredo autem à calore extraneo: ideo non est mirum, si ambo simul possunt intendi, ut patet de iuuencauionizante, in quo simul & semel continue procedit calor naturalis qui in eo crescit, & calor febrilis. Introducit etiā Vgo locum Galeni in ultimo com. prognosticorum, ubi etiam uidetur Galenus hoc sentire. Et si hæc opinio esset uera, facile responderetur ad argumenta, quod scilicet contrariantur secundum gradus extraneos & intensos, non autem absolute secundum omnes. Et si hoc esset de mente Aristotelis, diceremus in uno loco Aristotelem intellexisse in gradibus intensis, cum scilicet dicit digestionem & putrefactionem esse contraria: in alijs autem locis, cum dicit digestionem fieri per putrefactionem, intellexisse hoc in gradibus remissis. Sed ista positio mihi uidetur falsa, & impossibilis, & contra mentem Aristotelis. Primo quando dicunt illi, quod non contrariantur ex toto putredo & digestio: hoc est exp̄esse contra uerba Aristotelis in quarto de gener. anim. cap.octauo, ubi dicit, quod lac fit per digestionem, pus autem per putrefactionem; quæ simul stare non possunt. unum enim & idem non potest esse putrefactum & digestum simul & semel in eadem parte. Quid Aristotelis uerbis ibi clarius, & expressius? Adhuc, habetur idem in tertio de gener.anim.cap.1 r. ubi dicit, quod quando ranae uel uermes generantur, non est aliquid putridi; & secundum totum animal non generatur ex materia putrida: putridum enim existens in illa materia, refecatur, & remanet aliquid quod est concoctum, & ex ea parte concocta, putrido refecato, animal generatur. Et reddit rationem, 40 quoniam generatio fit ex digesto, & concocto, & dulci; & quod generatur, non fit ex putrido, sed ex concocto: ergo concoctio & putrefactio non possunt stare simul. Et hoc est in cap.de generatis ex putredine. Præterea, ultra hoc, quod est contra Aristotelem, est etiam falsa opinio Gentilis enim, quem nominant grauissimum, & speculatorum in medicina, pessimè speculatus est in philosophia. Nam putredo est corruptio proprij & innati caloris ab aliena caliditate, quæ corrumpit, separat, & uincit materiam. Sed digestio perficitur à calore naturali. oportet enim in concoctione, quod calor naturalis dominetur: in putredine autem oportet, quod calor alienus dominetur, & uincat calorem naturaliem, ut patet ex ijs, quæ diximus circa textus expositionem. & hoc argumētum facit etiam ipse Gentilis: sed non inuenio aliquem locum ubi ipse soluat. Ulterius, in putredine 50 separantur elementa ab inuicem, resolutur enim mixtum, ut dicit Aristoteles, in aquam aerem, terram, & ignem. In digestione autem & concoctione, elementa permiscentur

& uniuntur, & remanent maximè stabilia, cum uniuntur formæ mixti, quæ postea tenentur simul ligatae. ergo nullo pacto digestio & putredo stant simul. propterea non est ad mentem Aristotelis quod isti dicunt. ipsi enim dicunt digestionem & putredinem esse duas res, sed se compati simul. Aristoteles autem uult quod sit una & eadem res: & ad illorum mentem esent duas res simul stantes, ut calidum, & frigidum in tepido, album & nigrum & huiusmodi. Sed Aristoteles dicit quod putredo est digestio. Ideo aliter respondendo dico ego, quod sicut generatio & corruptio non contrariantur nisi respectu eiusdem (nam generatio unius potest esse corruptio alterius) non autem contrariantur quando sunt respectu diuersorum, quando enim generatur Socrates ex semine tunc generatio Socratis & corruptio seminis non contrariantur, quoniam non sunt respectu eiusdem: sic in proposito corruptio unius est etiam generatio alterius; sic & putrefactio unius potest esse digestio alterius: hoc autem respectu diuersorum. Nā putrefactio sanguinis fit in apostemate: dicunt enim medici, quod, quando sanguis est extra uenas, tunc cito corrumpitur, & putreficit: sic putreficit sanguis in apostemate, sed tamen sanguinis corruptio & putrefactio est pars digestionis. Ita uidetur esse respondendum, & ita dicit Auer. in paraphrasi, ut patet inspicienti uerba eius. Tamen haec responsio, licet sit ad mentem Auerrois, est tamen longè deterior quam prior, & est in maiori errore Auerroes, quam Vgo, uel Gentilis: quia minus possibile est, quod caliditas sit frigiditas, quam quod duo contraria stent simul: caliditas enim & frigiditas possunt stare simul, sed non potest caliditas esse frigiditas. Et primo Auer. non potest saluare Aristotelem in quarto de gener. anim. cum dicit, quod lac est factum per concoctionem, pus uero est factum per putrefactionem. Et si dicas, quod pus est putrefactio sanguinis, & est pariter digestio, & generatio puris: tunc sequeretur, quod sanguis in generatione lactis etiam corrumpatur, & fiat lac; & quod sanguis ibi putrefiat, & digeratur lac: & ita idem esset putrefactum in illo & concoctum, quod est contra Aristotelem in eo loco, qui uult lac fieri ex sanguine per digestio- 20 nem ulteriore sanguinis, non per sanguinis corruptionem, aut putrefactionem. Item in tertio de generatione anim. cap.1 r. dicit, quod nihil putrescens generatur, ut supra diximus. quo modo concoctio non stat cum putrefactione, quoniam ex re putrida non fit generatio. Cum uero dicis, quod est concoctio rei generandæ, & putredo rei quæ fuit prius, sed modo corruptitur; & ideo quia refertur ad duo, non repugnat: tunc oportet dicere, quod ita, eadem est caliditas quæ digerit, & illa quæ putridum facit, siue corruptit. Sed hoc saluare est difficile, cum digestio fiat à caliditate nativa, putredo au- 30 tem à caliditate extranea & extrinseca. Vnde eadem argumenta, quæ adduximus contra Gentilem & Vgonem, pugnant æquè fortiter, & etiam plus contra Auerroem, quam contra illos duos. Item quomodo intelligitur, quod digestio congregat elementa ac miscet, putrefactio autem disgregat & diuidit? mirum enim hoc uidetur. Item tertio techni. comm.90. dicit, quod digestio facit cessare putredinem, & corrumpit putredinem: quo modo ergo dicta Auer. erunt uera cum hoc dicat loco nunc citato Galenus? Item Aristoteles dicit, quod digestio est putredo, in alio uero cap. dicit quod digestio aliquid abijcit, ut sterlus, pus, & huiusmodi, & aliqua etiam retinentur: & ibi connumerat Aristoteles putrefactionem inter digestionem. Item Hippocrates & alij medici omnes distinguunt inter pus digestum & indigestum: ergo uidetur idem pus digestum & putrefactum, ut in illo aphorismo, digesta medicari, & est locus multum citatus à chirurgicis. Item sterlus est putredo secundum Aristotelem: & tamen medici distinguunt coctum à non concocto. Hæc materia est difficilis, & nihil boni reperio apud alios. Ego tamen pro uiribus aliqua dicam. Omitto autem unam responsionem, quæ tamen non est impossibilis, quod Aristoteles in uno loco dixerit unum, & in alio aliud. sunt enim duodecim horæ dierum: & non est mirum, si Aristoteles sibi aliquando contradixerit; quia homo fuit, & non fuit impossibile eum errasse, quamvis ego id non dicam. Respondebo autem hoc modo, 40 saluo semper meliori iudicio, quod duplex est digestio, uera, & non uera siue metaphorica. Vna enim dicitur digestio uera, cui conuenit diffinitio digestionis posita ab Aristotele, & non per similitudinem siue metaphoram: alia dicitur per similitudinem tantum, &

translationem; siue per metaphoram, cui non competit diffinitio, nisi similitudine quādam deductā à uera. Secundo notetis, quod digestio uidetur adhuc duplex, uno modo uerē & absolutē, alio modo comparatiū: ut paenit uerē albus dicitur absolutē albus: qui uerō non est uerē niger, dicitur albus, comparatione ad uerē nigrum, siue nigriorem illo. Prima conclusio, propriē & absolute sumendo digestionem & putrefactionem, dico quod est impossibile quod putrefactio & digestio sint idem. Sed quoniam aliqua sunt digesta non abolutē & uerē, sed metaphoricē, & comparatiū ad ea quae sunt adhuc minus digesta; sic idem potest esse digestum & putrefactum comparatiū & per similitudinem, id est non propriē. Et sic possunt stare simul. Et quia sexto Topicorum transferentes semper secundum similitudinem transferunt: sic pus dicitur digestum, non uerē; sed similitudinariē. Nam sicut res, quae uerē digeritur, patitur à suo agente, sicut à calore naturali, ut redigatur in meliorem dispositionem quam prius fuerit, propositam a natura; proponit autem natura cum cibum digerit, generare ex eo partem substantiae rei nutritae: ita in non uera digestione, quia non potest natura generare nutriti partem, in ea transformatione in rem transmutatam inducit meliorem dispositionem quam potest: melior autem dispositio, postquam non potest ex ea fieri pars nutriti propter sui maliciam, est dispositio secundum quam fiat obediens actioni naturae, ut expulsione obediat, & ex corpore expelli possit uia caloris naturalis. Secunda propositio. Digestio uera fit à calore naturali: sic pus etiam siue sanies secundum omnes medicos fit à calore naturali. Supputatio enim fit à calore intrinseco, & hoc dicit Aristoteles in textu: nec inconuenit aliquid esse digestum & putrefactum, unum metaphoricē, aliud propriē; pus enim multas conditiones similes habet rei uerē digestae. Est enim pus comparatiū digestum, comparando ad saniem illaudabilem, non æqualiter aptam expulsione, & malam. Vnde per putrefactionem ulteriore, continet magis crescit in ea digestio, quoniam continue magis fit apta expulsione: & sic sunt inunctiones, emplastra, & huiusmodi medicamina, quibus materia præparatur, ut fiat obediens expulsione à corpore. Et talia emplastra, & medicamina simul putrefactua & maturatua sunt digestua: digeritur enim illa materia non abolutē, sed comparatiū. Et sic soluuntur omnia argumenta & authoritates omnes, quas Gentilis adducit in quaestione illa magna. omnia enim hac responsione corrunt. Sed dices, tuam intellexi solutionem; sed uilem scire rationem, quare illa transmutatio puris non est uera digestio: & quare vocatur digestio metaphorica. Secundò dubitate posles circa hanc responsionem: quoniam dixi pus non esse uerē digestum. Sed contra. aut pus est mixtum, aut simplex: non simplex; ergo mixtum. Si mixtum, ergo ex quatuor elementis cōpositum per mixtionem: Vera autem forma rei inducitur per commixtionem, quae compleetur digestione uera, non similitudinaria, & metaphorica: cum ergo omne mixtum compleatur per digestionem: ergo pus est uerē digestum, & non metaphorica. Tertio dixisti, quod idem potest magis putrefieri & magis concoqui, ita quod simul & semel intendantur putredo & digestio. Sed contra hoc. dicunt Haly & Galenus 3. techni tex. & comm. 90. quod digestio facit cessare putredinem: ideo enim dantur syrapi digestiū, ut faciat cessare putredinem. Quarto & ultimo argumentū factū non dissoluitur: 40 quoniam, quod putrefactū aliquā materia, incineratur & refoluitur, & sequestrātur partes: quando autem aliqua digerūtur, permiscetur ad inuicē & unitū: ergo simul stare nō possunt. causarū enim distinctarū distincti sunt effectus. Item digesta ingrossantur, cruda autē subtiliantur: ergo contra solutionem. Ad has dubitationes, dico primo ad primum, quod putrefactio nunquam potest habere ueram rationem digestionis. & innitor non supernumerās Commentatorum (qui enim sequitur Commentatores nunquam est bonus philosophus, sed qui uult esse bonus philosophus fundare debet se supra textu Aristotelis, & nō inuolui in glossulis quas suo arbitrio illi composuerunt) dico ergo quod putredo aduersatur generationi simplici: generatio autem simplex est illa, in qua fit mixtum, ex quatuor elementis, id est, ea ratione qua generatur mixtum qua mixtum est: cui contrariatur putrefactio, quae rursum dissoluit mixtum in quatuor elementis. & corruptit mixtum: & abolutē facit, quod corpus quod mixtum erat fit non mixtum, quia dissoluitur in elemen- 50 ta;

ta; generatio autem componitur ex elementis mixtis in unum: ideo putrefactio ex directo opponitur generationi: quia sicut generatio componit ex elementis mixtum; ita putrefactio separat mixtum in elementis: & ideo impossibile est si sumantur ambæ propriæ, digestio & putrefactio, quod stent simul, cum sint maximè contraria: & contrariorum effectuum contrariae sint causæ, ut bene dicit argumentum. ideo digestio propriæ sumpta, & putredo propriæ sumpta nullo modo possunt stare simul: sed si reperiantur simul, unum eorum sumitur propriæ, aliud secundum similitudinem, quam diximus prius. Ad secundum argumentum, pus est mixtum: ergo est genitum per digestionem. dico quod nec est propriæ mixtum, nec simplex uerē; sed mixtum imperfectum: nam uerē mixtum generatur per ueram digestionem, hoc autem non est in pure. Ad authoritatem Galeni. digestio facit cessare putredinem, dico quod facere cessare putredinem est dupliciter: uno modo ex toto, alio modo ut tantum eam remittat. exemplum, sit ignis qui calefaciat in proportione octupla, qui remittatur continue ab ea proportione, quo usque deueniat ad proportionem æqualitatis; tunc certum est, quod ille ignis continuè semper decrescit in sua potentia actiua: ponamus ergo hoc fieri ex intentione resistentis, quoniam adiungitur ei plus resistentia, & hoc, aut quia totaliter remittit passum, aut quia remittit per aliquos gradus, id est facit, quod non tam intensè agit. sic dico, quod digestio aliquo modo facit cessare putredinem; non quod omnino faciat cessare; sed ita, quod non tam mala aut tam intensa putrefactione putrefactit: non enim acquirit putrefactionem tam mali modi, si cut alias acquisiuīt: remittit autem continuè paulatim ve, ut tandem deueniat ad ultimum terminum, in quo omnino cessabit putredo, & deueniat ad proportionem æqualitatis. Et sic ego gloso dicta Galeni ultra glosas Gentilis, & aliorum. Vnde non uerē digeritur quod putrefit, quoniam hoc est impossibile: licet, quod aliquid metaphoricē digeratur & uerē putrefiat, non sit impossibile. Vnde, cum dicis, digestio facit cessare putredinem. dico quod non ex toto facit cessare; sed bene in parte remittit tantam putrefactio nem, tam in quali, quam in quanto: quoniam non est digesta putredo, ita foetida, sicut nō digesta. Nam dicunt medici, quod sanies debet aliqualiter foetere, sed nō multum: quoniam aliter significaret materiam esse malignam. In illa enim materia per digestionem remittitur malignitas materiae, & malus modus. nam nō fieret illa digestio, perueniret res ad deteriorē modum. Vgo. & Gentilis faciunt hanc difficultatem magnam, quae tamen non est magna. sed ratio est, quoniam illi longè aliter exponunt textum, quam ego. Verē igitur digesta, & uerē putrefacta nunquam stant simul: sed metaphoricē digeri & uerē putrefacti bene stant simul. Et sic ego intelligo dicta Aristotelis.

D V B I T A T I O L II.

A liud dubium, an per eundem calorem fiat putredo & digestio: digestio enim fit à caliditate & putredo etiam fit à caliditate: ergo querendum est, an sit unus & idem calor; an plures, quorum unus faciat putrefacere, alius, autem digerat. Auerroes in paraphrasi tenet, quod sit unus & idem calor, qui tamen alius est secundum quod digerit, & alius quando putrefactionem causat: ita ut unus sit calor, aliter tamen & aliter se habens. Cum tamen tota schola medicorum teneat putredinem fieri per calorem extrinsecum, digestionem autem per calorem intrinsecum & calorem animalis, in hoc Auerroes aduersatur omnibus medicis, & maxime Galeno in ultimo com. primi prognost. Ego autem magis credo sententiā medicorum quam Auerrois, licet Auerrois opinioni posuit dari glosa & defensio, quod scilicet unus sit calor, compositus tamen ex naturali calore & præter naturam, qui in quantum agit per calorem naturalem, digerit: in quantum uerō agit per calorem præter naturam, putredinem inducit. & sic faciliter sustinetur dictum Auerrois. & is forte ita intellexit, quod ego neque affirmo neque negare uolo.

Petri Pomponatii dubitationes

D V B I T A T I O L I I I .

A Liud dubium , & est argumentum Gentilis , quod tamen ipse non soluit , quod ego uiderim . Si idem digereretur , & putreficeret , sequeretur quod eadem materia congregaretur , & separaretur de facto . Ego nescio , ut dixi , an hoc soluat , quæstio enim eius tam longa est , & tam tediosa ut non potuerim diligenter eam uidere ; sed solum percurri . Posset autem forte dici , quod dicta illa sunt intelligenda de digestione uera , & putrefactione uera , quæ habuit semper contrarios effectus . Tamen digestio metaphorica etiam ipsa congregat , ut patet ex cap . de pepansi , & patet in urina , & lachrima , & in alijs huiusmodi . ut dicit Aristoteles in cap . de pepansi . Sed quomodo eadem res congregatur & separatur ? Ego unum imaginatus sum , & dico quod non est uerum , quod putredo pro omni tempore separat : pro aliquo enim tempore ingrossat , ut in uino , quando incipit tendere ad putrefactionem , siue ad corruptionem , fit grossum , & turbidum . sic aqua putrida , sic urina cum incipit corrumpi , quoniam partes eius grossæ cum alijs permiscentur . Et hæc sit uera responsio , quod non omni tempore putrefactio incinerat , sed solum in fine . Secundo do aliam respōsionem , quod digestio non ingrossat absolute , sed solum comparatiue , id est minus subtiliat ; non enim fit res tam subtilis cum digeritur , ut cum non digeritur . unde digestio dicitur procedere non uerè ingrossando : non uerè , scilicet , quoniam res digesta non est tam subtilis , ut esset , si non esset digesta . prohibet enim digestio maiorem subtiliationem ; quoniam nisi calor naturalis ageret in eam rem digerendo , in eadem induceretur maior subtilatio , quam calor digerendo prohibet induci : & ita solum prohibetur subtilatio , non autem ponitur noua inducta , ingrossatio . Vel tertio dico , quod aliquando ingrossat digestio , aliquando uero subtiliat : nam ingrossat ea quæ subtiliora inuenit , & hoc non inconuenit . neque etiam sequitur quod digestio semper subtilabit . Et ita breuibus ad hanc dubitationem respondet .

D V B I T A T I O L I I I I .

A Lia dubitatio , & ultima in hac materia de digestione . quoniam philosophus dicit in cap . de putredine , quod ex putredine generantur quædam animalia , ideo contingit quæstio de productis ex putredine , quantum ad efficiens immediatum , & quantum ad materiam . de alijs enim causis nolumus nos intromittere in præsenti loco . Sed solum quærendum est hic , quæ sit materia & efficiens immediatum illorum quæ sunt ex putrida materia . ut cum generantur culices , uespæ , muscæ , pediculi , & alia huiusmodi . Moueo autem hanc quæstionem , quoniam est discordia inter duos peripatheticos , scilicet Auerroem , & Albertum . Auicenna uoluit quod hæc generantur à colchodea , ut habetur duodecimo met . com . 18 . secundum Platonem sunt ab idea , & secundum Aristotelem ab orbe solis & homine generat homo . Conciliator in differentijs suis mirabilia narrat de illa colchodea ; & ipse etiam Albertus infinita , quæ nos nolumus hic recitare . sed . 12 . met . ca . 19 . multa de his . Tenet Albertus , quod illa animalia generantur ex calore solis & stellarū : qm̄ , quando calor Solis & stellarū agit in medium & in aerem & terram ; tunc illa suscipiunt calorem , qui in materia apta culici generat culicem ; in materia apta muri generat murē ; in materia apta scarabeo , ut fit in stercoribus , generat scarabeos . & sic generantur hæc ex calore tali diffuso per aerem , aquam , & terram . Verum nullū est inter animalia , qd̄ non generantur ab huiusmodi calore solis & stellarū : sed quædam cum semine & quædam sine semine . Et propter hæc antiqui infideles , qui ignari erant de Deo , adorabant solem , & stellas , & alia astra , ut Homerus & alij poetæ , qui nominarunt Solem patrem rerum . licet autem unus sit calor ; non tamen omnia genera ex putrefactione sunt eiusdem speciei : quoniam uaria proportio caloris uariat etiam speciem in genito . similiter una stella generat unam , alia aliam : Et loca etiam conferunt multum ad uariationem effectuum . Cognoscuntur enim Hispani ex dispositione eis introducta à cælo , & loco . sunt enim nigri adusti , ingeniosi ,

in quartum Meteor. Arist.

35

ingeniosi , aut potius callidi . Germani læti magis , & gaudentes , minus astuti . Item Germani uidentur habere aliam effigiem , quam Mutinenses . & aliam habent faciem homines unius ciuitatis , & aliam qui alterius , licet sint in eodem climate . Sed quanto plus etiam distinguuntur figuræ hominum diuersarum prouinciarum & climatum ? aliam faciem habent Græci , & maximè ad humanitatem accedentem , minus Itali . & minus forsan qui ad septentrionem uergunt . atque sic per gradum descendunt , & ultimo deueniunt ad homines , qui ferinos uultus & mores habent , ut Tartari , Scithæ , & id genus , quoniam secundum cœli & locorum figuræ uariantur . Tamen Albertus hanc uiam respondendi dānat , ut uilem , & quæ non uenit ad causam immediatam & propriam effectus , de quo lo-
10 quimus : oportet enim dare causam particularem , quæ determinet , & limitet illam uniuersalē communem præcisè ad hunc effectum sibi proximum . similiter nos uidentur quod animalia illa non solum generantur in æstate , sed etiam in hyeme , alia tamen & alia : quod non fieret , si calor in genere esset sufficiens & propria causa illorum effectuum . Item , si fierent illa animalia solum in conuentu aliquarum certarum stellarum , tūc sequeretur , quod quando illæ stellæ non conuenirent , sicuti raro conueniunt ; non generarentur illa animalia , quæ tamen uidentur quotidie generari . Ideo ipse ponit aliam uiam respondendi ad hoc dubium in examine huius loci . Aliqui enim dicunt pediculos generari ex sudore , aliqui ex carne putrefacta : vt cunque tamen sit , calor corporum cœlestium etiam ipse agit ; quoniam ille omnia manutenet naturalia : at ille tamen calor non sufficit ; sed requiritur
20 ultra hoc calor in materia segregata contentus , qui facit , quod in alia materia generatur aliud & aliud animal , siue aliud & aliud mixtum . nam materia , quæ est segregata , alium calorem recipit à cœlo quam alia : & alius est calor in hac materia segregata , alius in alia . Et ideo Albertus attribuit calori , qui est in materia segregata : Auerroes uero calori , qui est in aere . Quæris autem , utra opinio sit uerior ? Pro opinione Alberti facit textus , qui dicit , quod segregata caliditas est ea quæ generat illa animalia . uidentur etiam ratio concordare , quoniam in intestinis nostris generantur uermes ; & in hyeme , & in omni tempore anni . ergo non erit calor in aere causa illorum . Ex alia etiam parte uidentur , quod sententia Auer . sit uera , ut tertio de gener . anim . ca . 10 . ubi dicitur , quo modo generantur animalia . nam quādo deuenit philosophus ad ea quæ gignuntur ex putredine , ut sunt multi pisces , & multi uermes ; tunc dicit , quod , quando multum pluit , tunc multi generantur uermes : materia enim per aquam commixta cum terra ; & calore solis cum aere ambiente , agente , generantur animalia illa : ergo uidentur quod Aristoteles concordet cum Auer . nam terra gerit uicem materiæ , sicut sanguis menstruus : & spiritus excitatus à calore solis gerit uicem spiritus uitalis , qui in menstruo sanguine apparet , & agit . Domini ambae opiniones sunt fortes propter authoritates Aristotelis quæ uidentur sibi contradicere . Vnde mea sententia , & opinio Alberti est uera in parte , & opinio etiam Auerrois uera est in parte : nulla tamen est in toto uera . Sed forte ex ambabus , iunctis simul illis dicitis quæ bona in utraque fuerunt , poterit construi una bona responsio . Aristoteles autem in eo loco libri de generatione anim . soluit . Et noster Virgilius non male cecinit , quod sunt Iouis 30 omnia plena . nam calor cœlestis disseminatus est per totū orbem ; calor autem est instrumentum productuum genitorum ex putredine . unde ibi concurreat calor solis & astrorum , & aer circundans : sed ille qui est in te segregata , est immediatus : ideo uterque modus est bonus , & Alberti & Auer . Et Aristoteles utrumque tetigit , unum in libris meteorol . alium in libro de generatione animalium : unde in ambabus locis dicit uerum ; qm̄ aliquando fit per calorem in separatis partibus materiæ ; aliquando et per calorē extrinsecū , & ambientem . Ideo magis damno Albertum , quia in ponendo suum modum damnat Auer . qui tamen in ponendo suum dictū non negauit hoc qd̄ adiunxit Albertus . Ad argumentum autem Alberti , quia oportet uniuersale agens fieri particulare . dico , quod fit particulare , quoniam particulare agens est spiritus inclusus . ergo utraque opinio est pro 40 parte uera . Secunda autē pars dubia erat , ex qua materia generarentur illa animalia , putrida exsistente materia ? dicit enim philosophus in libro tertio de animalibus cap . 10 . quod nullum animal mundi generatur ex parte putrida , sed illa abijcitur & remanet aliquid dulce , quod

ce, quod non incineratur; & ex illo generatur animal, & non ex illa parte putrida & incinerata. Sed dico, quod pars illa ex qua generatur animal, non ex toto est putrida, sed bene aliquiliter macerata, & habet aliquid dulcis. Sed ista sunt triuialia. Videatis uos Galitanum. Hæc de materia de digestione.

D V B I T A T I O . L V.

Circa textum 28. mouetur primo dubitatio, quæ à nullo alio mota est, quoniam dicit Aristoteles quod uult loqui de operationibus, quæ proueniunt à qualitatibus passiuis, scilicet humido & sicco. Incidit ergo difficilis quæstio: quoniam, aut attribuuntur coagulatio & liquefactio humido & sicco tanquam materiae, uel ut efficienti seu agenti. Si ut agenti: sed aliquid calidum etiam liquefacit: calor enim solis & ignis liquefaciunt ceram; & calor ignis dissoluit multa metalla; sic aliquid mixtum liquefit à frigido; coagulatur autem à calido, nam lutum fit durum à calido, & syrapi etiam inspissantur à calido: & liquefiunt à frigido; liquefactio enim uidetur esse effectus tam calidi quam frigidi, & agentium qualitatum, quam passuarum, scilicet humidii & siccii. Si uero conueniunt, ut materiae & subiecto: tunc sic uidetur esse etiam in generatione & corruptione, putredine & digestione: quoniam tales operationes attribuuntur calido & frigido, tanquam agenti humido autem & sicco, tanquam materiae & subiecto: quare ergo potius generatio & corruptio, digestio & putredo attribuuntur ab Aristotele qualitatibus actiuis, hæc autem sequentes qualitatibus passiuis? cum non uideantur attribuerida unius potius quam alterius. Volui autem mouere hanc dubitationem hoc in loco, quia mihi uidetur quod magis conuenientiathie quam superius: Item Aristoteles dixit, quod generatio fit, quando actiua dominantur passiuis, potredo autem fit, quum passiuia dominantur actiuis; & ascripsit generationem actiuis, & putrefactionem passiuis: ergo de putredine erat tractandū hoc in loco, cum Aristoteles dixerit prius determinandum esse ibi de illis, quæ ad actiucas, postea rius iterò de illis, quæ ad passiuas pertinent qualitates. Has quæstiones ego nescio determinare & præcisè soluere: uolui tamen mouere. & puto conuenienter monisse. Cogitaui primò, dici posse, quod liquefactio & congelatio non sunt à qualitatibus actiuis actiue, idest quod actiuae solum concorrent actiue, humiditas uero & siccitas solum passiuæ, & materialiter; sed quod passiuæ etiam qualitates concurrant ut efficientes. Et sic uidetur, dicere Aristoteles, & forte hæc est solutio conueniens. non ponu tamen hoc pro responsive firma, quia potredo non posset sic fieri, & de putredine non possemus ita respondere: ideo respondeo dubitatiuè, ut solet facere Aristoteles in problematis cum respondens ad aliquod genus quæstionis, dicit [an forte] & cū dubitatione loquitur. dici forte posset, quod argumentū uerè concludit, quod utraq; operatio sit & actiuarum & passuarum qualitatum, & quod possint esse agentes, & possint esse patientes. Sed quia tunc Aristoteles nominauit has actiucas, & argumentum est rationabile: dico quod ethimologia nominis magis sonat actionem in una quā in alia; nam coagulatio magis uidetur sonare materiam, quoniam ea quæ erant dispersa, coadunantur; generatio uero & putredo magis uidentur actionem sonare: & forte ita sonat in græco, quod ego nescio. Ad aliam obiectiū, cum dicitur, quod putrefactio uidetur esse opus passuarum: ergo deberet ponu nō in ordine primo, sed in secundo, cum dicit se dicturū Aristoteles de proprietatibus & operationibus, quæ conueniunt mixtis ratione qualitatum passuarum. Sed dices quod Aristoteles in cap. de putred. scribit, quod putredo est opus alienæ tantum caliditatis, & propriæ frigiditatis, ergo conuenit actiuis. Dico ego, quod dicit etiam Aristoteles postea, quod fit putredo, cum passiuæ dominantur qualitatibus actiuis: ergo est opus passuarum. Quid ergo dicendum? Dico, quod conuenit actiuis per supradicta; quoniam est operatio caliditatis alienæ, & frigiditatis propriæ: at quod passiuia dominantur actiuis, hoc est ex defectu actiuarum, idest quod non passiuis propterea debet attribui hæc operatio, quoniam passiuia non agunt eam; sed actiua eam agunt: uerù quoniam non sunt ita fortes in mixto, ut possint facere digestionem, quoniam non possunt obtinere super passiuis; ideo per

per sui absentiam & debilitatem causant aliam operationem, scilicet putrefactionem: unde sunt causæ deficiente, ut dicitur secundo phys. quando nautæ absentia est causa naufragij. nonne etiam cum confitemur peccata nostra, dicimus opere & omissione? ecce quod omissione beneficiorum quæ fieri potuissent, & debuissent, est etiam causa efficiens peccatorum. Vnde passiuia dicuntur obtainere, quando actiua non possunt uincere ea, & subiugare.

D V B I T A T I O . L VI.

Alia dubitatio, quoniam in eodem textu dicit Aristoteles quædam esse humida actu & quædam potestate: & quod possibile est aliquod esse actu humidum, quod tamen potestate exsiccat, ut dicunt medici de uino, quod cum est magnum & potens, actu humectat, quod nobis ostendit experientia; uirtute tamen exsiccat. Ego non uidi hoc apud Autic. Sed bene apud Galenum. Vnde de extinguentibus sicut moderni practican tes, & Sauonarola, dicunt quod christallus licet actu siccus sit, tamen extinguit sicut, & liquefacit, & humectat linguam: sed de illa non loquimur potentia, quæ causat & producit humiditatem, uel siccitatem, licet hoc sit mirabile. Credo multis modis contingere, quod illa uina fortia exsiccant, primo enim credo ratione multitudinis partium spumosarum in ijs existentium, quoniam uina maluatica, Cretica, & falerna multos habent spiritus in se, & partes igneas; ideo faciunt multum uaporare & inducunt siccitatē. Secundo posset etiam fortasse dici; quod in ijs sunt multæ partes rationum diuersarum: quædam sunt aqueæ & humidæ humectantes, & ratione illarum humectant; aliæ sunt terreæ & igneæ, & ratione illarum exsiccant, sicut dicimus de coriandro, quod in una parte unam, in alia aliam uim habet. et sic dicimus de aceto, & multis alijs. Tertia responsio quā ponunt omnes medici, est, quod non quia calidum neque quia frigidum & humidum aut siccum; sed quia habet talem proprietatem specificam occultam, & est fuga communis omnium medicorum & physicorum. Et hanc responsionem ponit Auic. in prima secundi Aliquando autem siccum humectat per accidens: ut quando habemus magnam famem, tunc sustinendo famem eadem aufertur, quoniam trahit stomachus ad se malas humiditates, & humectatur stomachus malis humoribus, & cessat fames, per accidens, non per se, & propter frigiditatem.

D V B I T A T I O . L VII.

Alia est dubitatio. Quoniam glacies liquefacta actu est humida, plumbum uero, & glacies non liquefacta, sunt actu siccæ; tamen non tam siccæ est glacies congelata, ut possit triturari siue teri: quomodo autem hoc est? An ibi sit uera siccitas? si dicas, quod sit uera siccitas; quaro quid generauerit eam siccitatem? nam frigidum immediate non potest generare siccum. Item contingit, quod aliquid sit siccum ratione caloris, ut audiatis in textu sequenti: ergo etiam calidum & frigidum exsiccariuum est. unde calidum rarefacit, frigidum uero facit constare. cum ergo calidum facit siccitatem, tunc à subiecto facit euaporare, & corrumpit humiditatem: similiter frigus, si debeat causare siccitatē, necesse est, quod corrumpat humiditatem: unum enim contrarium non potest induci, nisi alterum corrumpatur, aut expellatur: si ergo est uera siccitas, tunc in glacie liquefacta, quomodo redibit eadem humiditas? Et si non est uera siccitas; quid generabit illam nouam humiditatem? aut enim redibit eadem siccitas in numero, aut nō eadem; & aut erit uera siccitas, aut non uera; si non est uera siccitas, quæ redit: ergo sensus, cum omnes ueræ conditiones sensationis obseruatæ fuerint, decipietur. Vnde ferrum limatum in puluerem redigitur, & fit siccum; sensus autem ibi intuetur eam siccitatem: & sic de glacie trita. Si ergo est uera ibi siccitas, quis generauit illam? si non est uera: ergo sensus omnibus conditionibus obseruatis decipietur. Et si siccitas illa corrumpitur per liquefactionem: quid regenerabit eam? Vos super hac re considerabitis.

Petri Pomponatii dubitationes

D V B I T A T I O L V I I I .

Alia dubitatio quando dicit Aristoteles, quod plus habentia de terra sunt terrea, quae autem plus habent de aqua, sunt aquæ. ergo aliqua plus habent de terra, aliqua uero plus de aqua. hoc dicit Aristoteles in textu. & Alexander circa expositionem tex. dicit idem. Et dat exemplum de melle, quod plus habet de aqua. Item Aristoteles in secundo phys. cap. 8. ubi probat formam esse magis naturam quam materiam: dicit, quod res magis habent de eo, in quod magis resoluuntur. nam in quorum resolutione plus inueniuntur de terra, illa magis sunt terrea; & sic de alijs. Ex alia autem parte hoc uidetur magis aduersari Aristotelii secundo de generatione cap. 49. ubi dicit, quod mixtum magis habet de illo, in quo magis moratur. Et in eo loco Io. Grammaticus (non enim alium græcum in terpretem super eo libro habeo, licet etiam sit malè traductus) dicit, quod uult philosphus, quod omne mixtum restans circa medium (dicit autem circa medium ad differentiam uaporum & exhalationum, quæ non sunt circa medium sed in aere, ideo non sunt uerè circa medium, nec etiam sunt uerè mixta) quod uelit inquam, omnia quæ remanent uerè circa medium idest terram, & quæ sunt uerè mixta, esse terrea à prædominio. Et ibi Aegidius, Thomas, Albertus, Et Paulus Venetus, ponunt omne mixtum sive terminatum, sive interminatum esse à prædominio terreum. Vnde D. Thom. secundo sen. distin. 15. quæst. secunda art. primo, in responsione ad tertium argumentum de operibus septem dierum, tenet quod omne mixtum à prædominio sit terreum. Et quamuis dicatur aereum uel aqueum, hoc non est absolute, & simpliciter intelligendum, sed comparatiuè, ad alia scilicet quæ non tantum de aere aut aqua habent, ut ista illis comparata: nam licet omne mixtum sit à prædominio terreum, quoniam plus de terra habet quam de aliquo alio elemento; tamen adhuc sunt multa aquæ, multa etiam aera, quæ non comparatione aliorum elementorum quæ in ipsi sunt, talia dicuntur; sed comparatione aquæ quantitatis aut aere, quæ est in alijs mixtis. nam penna dicitur plus habere de aere (exempli gratia) quam quodcunque aliud mixtum: sed adhuc plus habet penna de terreo quam de aquo, aereo, aut igneo: quod patet, quoniam ultimo tandem cadit in terram reliqua sua naturæ. Hæc est reponsio D. Thomæ. quæ tamen mihi nullo modo uidetur esse ad mentem Aristotelis, quoniam comparat philosphus aquam ad terram, & dicit [cuius unumquodque &c.] Secundo non uidetur uerum, quod dicit. D. Thom. Quod enim uinum habeat plus de terra quam de aqua, hoc non possum persuaderi: multa enim sunt uina, & plura alia liquida subtilia, quæ si bullierint aut exhalauerint, nihil relinquunt in fundo terre: & tamē uidebis in illis esse multum de aquo. Ideo licet hoc dixerint latini ferè omnes, & Arabes, quoniam Auerroes eius est opinionis: non tamen possum animo meo complecti, hoc esse uerum. Credo quod cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant. sequuntur enim omnes Auer. in hoc. sed si Aristoteles ita sensit; ego fateor me Aristotelem non intelligere, nec ei assentiri. Ioannes Grammaticus exponit hic, plurimum terræ, idest non comparatiuè, sed positiuè multum de terra: & hoc fortasse intellexit Aristoteles. Si ergo uobis hæc ultima expositio satisfacit, accipiatis illam, aut etiam unam de superioribus. Ego dixi quod sciui, si uos uultis meliora; inueniatis.

D V B I T A T I O L I X .

Alia dubitatio, quoniam in eodem textu 28. dicit Aristoteles, quod animalia non degunt in igne, aut in aere; sed solum aut in aqua, aut in terra. Hoc omnino uidetur falsum. nam homines & aues manent in aere, immo non possunt uiuere extra aerem. et aliqua etiam uiuunt in igne. Nec uolo hic ingredi in opinionem Platonicorum de dæmonibus. Sed Aristoteles lib. de historijs animal. cap. 19. dicit In Cypro esse ignem, qui cum diu durauerit, inueniuntur animalia uolantia per illum ignem, quæ in igne uiuant per multis

in quartum Meteor. Arist. 37

multos dies, & quæ primum exeunt ignem, statim moriuntur. Et Plinius etiam minimis illius rei. & hoc argumentum procedit contra Aristotelem, si eius uerba, cum dicit [in igne, in aere, in terra, in aqua] interpræteantur, quod hæc propositio indicet habitudinem loci ad locatum. si uero dicant aliam habitudinem; ego non inuenio, quæ sit præter eam, quæ est loci ad locatum. Gaietanus, licet non mouerit hoc dubium, uidit tamen ipsum, & etiam Albertus, qui in com. uult quod dicat habitudinem loci ad locatum, non quidem absolute, sed quiescentis & residentis in loco: nam animal duos motus habet, scilicet naturalem & uoluntarium; animal enim per aliquod tempus moueri potest motu uoluntario in igne, & manere aliquantum in igne, & talis motus non sequitur ele-
mentum prædominans. aliis autem est motus naturalis, insequens elementum prædominans, & non uoluntarius: & tunc nullum mixtum mouetur, nec ad aerem nec ad ignem; sed solum aut ad aquam, aut ad terram. Vnde si animal esset mortuum, uel dormiens, semper moueretur ad unum ex illis duobus. Et hæc glosa licet sit valde apparent, non tamen est omnino uera, quoniam si esset uera, sequeretur, quod pisces quiescerent in aqua, quod est falsum, ut licet uidere in quarto de historijs anim. cap. 10. ubi loquitur de somno & uigilia animalium. & dicit quod sepeliunt se, quasi in arenam, & mouentur ad terram, quæ do uolunt dormire. Item quando pisces mouentur in aqua, mouentur motu uoluntario. Item pisces mortui proiecti in aquam cadunt ad terram, antequam incipiunt putrefactio: cum uero post triduum incipiunt putrefactio, tunc ascendunt, & ita fit de multis cadaveribus animalium, & hominum, quæ non tamen ascendunt ante putrefactionem. Hæc sunt contra Gaietanum Alber. & ante illos Auerroem. quæ quidem dicta sunt ex sententia Aristotelis. Alexander uero habet alium intellectum istius loci, & cum dicit Aristoteles quod animalia degunt in aqua, & in terra: hoc intelligit quantum ad nutrimentum, nam ex eisdem sumus & nutrimur: unde animalia omnia aut nutriuntur aquo, aut terreo, sicut componuntur ex aquo & terreo. Et licet aues uolent per aerem; tamen nutriuntur terrestri: uolant enim sæpe ut capiant cibum, uel ut fugiant res sibi inimicas. Sed de hoc latius dicere esset alterius speculationis. Ego probo magis hanc expositionem Alexandri, licet forte & alia sustineri possit ad bonum sensum. Et quia dicit Aristoteles, quod omne mixtum à prædominio est terreum, in 49. com. secundi de generatione, & si inspiciamus textum, uidetur dicere, quod basis omnium mixtorum est terra. & expositores & textus uidentur dicere quod omne mixtum à prædominio habeat terram: & Io. Grammaticus est in ea sententia; mihi tamen non uidetur hæc esse uera. nam uinum & aqua ardens, non habent plus de terra. Similiter uina nostra Mantiana & Ferrariensis, quæ sunt ualde subtilia. Certè glosa D. Thom. mihi non placet. Et Alexander dicit, quod mel & ea quæ in aqua soluuntur, habent plus de aqua: & non comparat, ut D. Thom. qui exponit plurimum, idest comparatiue. Vos eas partes sequimini, quæ uobis magis placent.

D V B I T A T I O L X .

Sed quia quæsiuit unus uestrum, ex hoc quod Aristoteles uult quod basis omnium mixtorum est terra, uel aqua: An possint reperiiri aliqua mixta, quæ sint à prædominio aerea, uel ignea? ideo hæc adiungo ad abundantem doctrinam. Et uidetur quod sic. nam dicit Aristoteles in hoc quarto, quod ea, quæ inflammantur, ut sunt pinguia, sunt ex prædominio aerea, ut in tertio de coelo, ubi dicit de lignis, quæ omnia natant præter ebanum. similiter oleum & multæ aliae pinguedines supernatant in aqua; quoniam pars aerea in eis dominatur: sic etiam de igne. Si quis patiatur erysipelas, & superfundatur uinum uas aquæ, non extinguetur, cum tamen si quis haberet maximum ignem, aqua ignis ille extingueretur. Item noctilucæ & cantharides comburunt, & tamen non extinguitur: sunt enim ex eis cauteria. Item stella pisces est tantæ caliditatis, quod, quicquid tangit, comburit, ut dicit Aristoteles. Sustinendo autem communem opinionem, quod nullum animal est, quod ad molem sive ad quantitatem, plus habeat de igne, uel de aere, quam de aqua; uel terra, dico, quod illa non sunt ignea à prædominio. dico notanter, secundum G. molem,

molem, quoniam possunt ignea esse secundum uirtutem, sicut Aromatarij dicunt confectionem aliquam esse scaminoneatam, & tamen quo ad molem non dominatur in ea scaminonea; sed solum quo ad uirtutem: sic & mixta hæc non uidentur aerea aut ignea ratione molis, sed tantum ratione uirtutis. Vnde magna est potentia aeris & ignis, sicut uidemus in instrumentis bellicis cum impelluntur lapides maximi ponderis ad distantiam unius milliaris: uis aeris & potentia uirtutis in igne & aere præponderant quantitatib[us] uirtutis ipsius terræ. Vnde dicam illa mixta esse aerea, uel ignea, quo ad uirtutem. Ad argumentum ergo de erysipelate, ibi dixit Albertus unum, & citat Alexandrum, quem tamen ego non uidi in ea parte, & est libro de uegetabilibus. quod ignis multò maiorem uim aliquando habet iunctus alijs rebus, quam si per se apponetur. complexio enim ualde multa agit, & ille uult animam esse complexionem, licet in hoc repræhendatur. Sed ego adhuc habeo unum magnum dubium. quoniam ponatur aceruus magnus lignorum, & ascendat ignis ascensu usque ad coelum, tunc combustis lignis relinquitur quædam minima pars cinerum: ita ut pro cætum modijs ignis, uix fiat unus modius cinerum, siue terræ. Flamma autem attestatur de ignea parte, & de aerea, quæ in eo mixto fuit. uidetur tamen, quod ignis quantitas siue flamma sit quasi infinita respectu illius terrei, quod remansit, postquam materia combusta est, & flamma extincta. Magna est authoritas Aristotelis. & soluere quæstionem hanc mihi non uidetur facile. Vos considerate. Certè quæstio non est extra propositum omnino, quamuis forte in alio loco magis conuenire.

D V B I T A T I O L X I .

Sed occurrit adhuc unum aliud argumentum ad id, quod dixit Aristoteles, animalia nō uiuere in aere, neque in igne: sed solum in terra, & aqua. Animalia quædam gignuntur tempore hyemis sub niue, & uiuunt sub niue, & sunt uermes quidam, sicuti ego uidi, qui non possunt uiuere nisi sub niue, & niue transeunte moriuntur. Similiter etiani aliqua generantur in igne, & uiuunt, & uolant, & gaudent in igne, & cum ignem exeunt, moriuntur, hoc enim tetigit Plinius 1. lib. cap. 36. & appellat ea pyriuia à πῦρι græcè, id est, ignis latine. Quomodo autem saluari hoc potest, cum uita animalis consistat in calido temperato, quod illa uiuant in calido maximo & igneo; aut in maximo frigore, quod est in niue? Dico quod hæc animalia uiuunt in terra, quæ est occupata aut ab igne, aut à niue. uel quæ hec, quæ uiuunt in niue uiuunt in aqua, quia nix est aqua. Sed quod statim moriantur extra illum ignem, & extra niuem; hoc est, quia natura non transit de extremo ad extremū, nisi per medium. vnde, quia illa animalia affueta sunt uiuere in niue, cum deuenient ad locum qui est extra niuem, & minus frigidus niue, moriuntur, quia ille locus uidetur illis calidus comparatione ad niuem. & ita animalia quæ affueta sunt uiuere in igne, cum subito ueniunt ad illum locum, qui est extra ignem, tunc ille uidetur eis comparatione illius qui fuit in igne, frigidus: ideo subsistere non possunt, & moriuntur. Plinius dat aliam rationem, quod sit ratione pabuli. Sed ego Plinio non assentior, quod sit solum ratione pabuli: sed est etiam ratione loci. nam si quis fuerit per integrum annum in carcere, uel in aliquo alio loco obscurissimo, & postea exponatur subito radijs solis in meridie; ille excaretur, & forte etiam moreretur. Poteſt tamen etiam ratione pabuli aliquis mori. noui enim ego quendam, qui condemnatus erat ad perpetuos carceres, ea lege ut solum pane & aqua uictum haberet. Hic cum longis temporibus solo pane & aqua usus fuisset, impetravit una die à quadam muliere ut sibi daret carnes, quæ capones exhibuit: ex qua comeditione statim mortuus est, quoniam natura ex subitanæ mutatione tantum oppugnata fuit, ut succumberet.

D V B I T A T I O L X I I .

Aliud dubium circa id, quod nunc dicebamus. Quomodo in animali genito sub niue possit defendi sensatio & nutritio? nam si est animal, necessario uiuit, cum ha-

beat

beat animam. necessarium autem est omne animal quamdiu uiuit, nutriti. Si igitur animal est, etiam sensituum: sensus autem & nutritio fiunt per caliditatem: quomodo ergo sub niue possunt nutriti & sentire, cum sub niue sit maxima frigiditas: aut quomodo sub niue potest esse calor? Dico, quod illa animalia nutriuntur & sentiunt. nam intra niuem non est tanta frigiditas sicut extra, in cortice niuus, quoniam in medio sunt partes calidæ, ignæ. dicunt enim rustici, quod quando frumenta tempore hyemis ut circa festum natalis Domini habent niues, tunc bonum est, & melius, quam si non sint, & hoc affirmat & Columella & Albertus Magnus in suo de vegetabilibus lib. cōmune adagium est quod quo peruenit tempestas, ibi per triennium fit sterilitas; quo autem pertingunt niues, ibi fit fertilitas. In niue enim multæ sunt partes spinosæ, & calidæ, quod appetit ex albedine eius. sed de animalibus degentibus in igne, maius est dubium quo ad eorum generationem: primo, quoniam quinto de generat. anim. dicitur, quod ex sicco siue ari do non generatur aliquid. sed talia animalia gignuntur ex chalcite lapide, qui est siccior. secundo omne uiuens uita mortali, nutritur: quomodo ergo animal in igne nutritur, cū ex puro elemento nihil possit nutriti? immo nec ex aere quicquam nutriti potest. tertio est animal: ergo sentit. tunc, illud membrum per quod sentit, erit aut caro, aut proportionabile carni, cuius complexio debet esse in medio: nam si esset tantæ caliditatis ut ignis, non posset sentire, quoniam tactus debet esse fundamentum omnium sensuum: quomodo ergo sentiet in igne calidissimo, quin corrumperatur illa complexio organi tactus; præcipue cum ibi sit tam modica frigiditas? necesse est enim esse in animali aliquid de frigido, si debet esse mixtum; & hoc uidetur impossibile, nam, cum ignis comburat lapides, ligna, ferrum, & multa solidissima & durissima; quomodo fieri poterit, ut illud minutulum animalculum non consumatur? nisi uellemus dicere, quod fiat hoc, ut factum est de tribus pueris My Sach, Sydrach, & Abdenago in fornace ignis, quod fuit miraculosum. Sed quomodo fieri potest, ut sentit in igne? uolant enim in igne illa animalia, & habent alas; alæ autem animalium sunt combustioni aptissimæ, ut docet experientia: quomodo ergo fieri potest, ut adminus alæ non absumentur igne? Domini mei Aristotelis authoritas est magna, & etiam Plinij. ad Cyprum parua est distantia & multi homines nunc sunt, qui illic fuerunt, & hoc affirmant de illis animalibus, & authores in hac re concordant; ego tamen non possum hoc credere. Sed quomodo respondendum erit ad autoritatem & ad argumentum hoc, si uelimus saluare dicta Aristotelis in libro de historijs, & de generatione animi? Dico, quod ex lapide possunt fieri animalia per putrefactionem, & in igne possunt fieri animalia. Vnde tertio meteor. lapides sunt geniti ex duplice exhalatione, cuius una pars est humida, quæ potest putrefieri, & ex illa generari animal. Vnde dicunt alchimistæ, quod ex lapidibus extrahunt oleum, & aquam per alembicationem. ideo ex illa substâlia aquæ, humida, possunt generari animalia, & sic non generantur ex arido, sed ex humido. Ad secundum est animal ergo uiuit. ergo nutritur. Plinius Magnus fuit uir, & eius liber est egregius quo ad quia est, sed non quo ad propter quid, siue ad causas illorum effectuum assignandas, ideo quæ nos querimus, Plinius non dicit. Tamen notetis, quod Aristoteles facit mentionem de aliquibus animalibus, quæ nunquam comedenterunt nec biberunt nec egesserunt; multa dicunt etiam alij, & non est fabulosum, quod aliquæ foeminæ permanerint per duos menses sine cibo. immo hystoriæ etiā dicunt de tribus animalibus. Item multa animalia, ut rapæ, & ursi tempore hyemis, & aliqui glires, tam uiscosum habent humidum radicale, & etiam nutritiale, & calor illorum est adeo debilis, ut humidum, cum sit ualde tenax, non facile sit resolubile; ideo possunt stare per sex menses & plus sine comeditione, sicut pulli cum sunt nuper nati antequam exierint corticem ouì, & antequam procedant in lucem, per magnum tempus manent in ouo sine nutrimento, & tamen cum mox exierint, incipiunt edere, & bibere. Sic ergo dicam & de illis animalibus, quæ uiuunt in igne, nam est in illis humidum sufficiens caliditati, ita quod calor non potest illud consumere in multo spatio temporis, ideo uiuunt sine cibo ab extra assumpto. Ad aliud dubium de sensu. Dico, quod caliditas illorū animalium est minor quam caliditas ignis, non enim habent summum calorem, quia cum illo non possent sentire,

G 2 nec

Petri Pomponatii dubitationes

nec uiuere, neque calidum eorum est tantæ caliditatis, ut ignis; est tamen calor fundatus in humido tam uiscofo, & tenaci, quod per tempus quo durant illa animalia, non potest illud humidum absungi, nec ignis potest eis nocere, etiam in multo tempore. unde & salamandra uiuit in igne, & extinguit ignem. Et cum Aristoteles dicit Salamandram uiuere in igne, dico hoc esse; quoniam pori in ea sunt tam stricti, quod ignis non potest penetrare illos, & consumere humiditatem illorum. Vnde qui boni essent philosophi, possent facere arte aliquas res, quæ non dissoluerentur igne.

D V B I T A T I O L X I I I .

A Liud dubiolum est, quoniam Aristoteles in loco de respirat. & inspir. dicit quod non seruatur calor in actu, nisi euentetur: nam plantæ euentatur per alimentum, pisces per aquā: & uniuersaliter nihil potest manere nisi aliquo modo respiret. quomodo ergo illa animalia ignea euentabuntur? oportet enim ut habeant euentationē aliquam, si debent uiuere. Ad hoc nescio quid dicendum sit. forsitan habent aliquid in eis, per quod euentantur, & spiraculum aliquid datum à natura, quod ego nescio.

D V B I T A T I O L X I I I I .

Pro complemento etiam eorum quæ dicta sunt, notandum quod forsitan possibile esset 20 inuenire hominem, qui ex cōpositione sua haberet etiam constitutionem à generatio- ne, quod ignis non absumeret nec lacereret eum, etiam si totus poneretur in igne. Nam Plutarchus grauiissimus author scribit de Pyrrho rege Epirotarum, cuius pes unus cum quo sanabat spleneticos, comburi non potuit, corpore etiam toto exusto. Auic. etiam ipse dicit se uidisse hominem, qui si prius mordebat serpentes, necabat eos; & si prius serpen- tes mordebant eum, illi non nocebant. Ego quoque, cum essem puer, uidi quandam ha- bentem lanceam, qui acumine sine ferro penetrabat totam armaturam catafracti equitis, lancea illesa remanente, nec aliquo modo lanceæ extremitas obtusa reddebaratur. Et licet hoc sit mirabile dictu, multi tamen adhuc sunt Mantuae, qui hoc sciunt, & uiderunt sicuti ego uidi, & ille potuit uendere lanceam illam 300. ducatis. Ideo non omnia talia fiunt incantatione, aut malorum dæmonum adiuuamine, ut multi imperiti physicarum rerum credunt.

D V B I T A T I O L X V .

A Lia dubitatio incidit ex expositione Alexandri, cum exponit literam huius capitii. Nam diffinit Aristoteles quid sit molle, & quid sit durum. Secūdo dicit differentiam inter durum simpliciter, & durum secundum quid, molle simpliciter & molle secundum quid: illæ tamen differentiæ cognoscuntur per tactum: durum enim simpliciter & durum secundum quid, cognoscuntur per sensum tactus: unde ponit differentiam inter sensum tactus & sensum uisus: quoniam uisus est sensus ualde spiritualis, tactus ualde materialis: 40 ideo tactus non absoluitur à calido, & frigido, humido, & sicco. Et quia organum tactus componitur ex qualitatibus tangibilibus realiter, ideo non potest omnem qualitatem tan- gibilem cognoscere; sicut uisus, quoniam immaterialis est, absolutus ab omni colore, omnes colores cognoscit: tactus autem solùm solitus est à qualitatibus extremis, non autem medijs: nam consistit tactus in mediocritate quadam siue proportione illarum qualitatū. Et quia omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti: ideo non sentit qualita- tes medias tactus, cum ex illis sit compositus; sed bene extremas. fert ergo iudicium de extremis tactus, non autem de medio: extrema autem sunt simpliciter talia; ideo illa de quibus sensus tactus iudicat, quod sint talia, illa sunt simpliciter talia, & sunt extre- ma: sensus autem corrumpitur ab extremis, & conseruatur à medio, quoniam consistit 50 in illa mediocritate. Hæc est Alexandri expositio, quæ maxime quadrat textui. Ea ta- men

in quartum Meteor. Arist. 39

men facit mihi magnas dubitationes. Et primo. uidetur quod ea, quæ sunt molliora, sint simpliciter talia; quoniam sensus tactus illa percipit: patet enim sensu, tactum ipsum iudicare inter duritatem ferri, & duritatem plumbi: unde ferrum & plumbum à sensu tactus non iudicantur æquè molli: ita & ferrum ad sensum durius est adamante, & adamast item fentur longè durius: & sensus tactus differentiam inter hæc ponere potest. quis enim tangendo utrumque, non sentiat utrum durius sit altero? Item loquendo de calido & fri- gido. quis diceret, quod ferrum ignitum ex tactu non sit calidius flamma? & tamen flam- ma in se est calidior: ignis enim longè est calidior quam ferrum ignitum. ergo quæ exce- dent mediocritatem sensus tactus, non sunt simpliciter talia. ideo expositio Alexandri 10 non uidetur uera. Respondetur, quod absolute intelligendo argumentum concludit, & demonstrat. Sed si intelligamus, ut forte dicunt moderni: non militat contra Alexander, quod illud, quod habet plus mediocritatis, est absolute tale: nam accepta tota la- titudine ut octo, tunc gradus ut quatuor, nihil operantur: sed quicquid est summe tale, dicetur simpliciter tale: ut si aliquid dicatur trânsire gradum caliditatis, qui est ut quatuor, tunc dicatur simpliciter tale, ueluti qui est graduum ut quinque, uel ut sex. nam sexto phys. illud dicitur magis album, cuius plures partes sunt albæ. Forsitan etiam Alexander ita intellexit, quod illa sunt molliæ absolute & simpliciter sine conditione, aut dura simpliciter, quæ transeunt illud temperamentum medietatis, ex quo tactus constituitur, & ip- sum medium non sentit: ita quod omne, quod excedit medium, dicitur simpliciter tale,

20 aut molle si uersum latus molli, aut durum si uersus latus duricie declinet ultra mediū. Vel dicendum, ut exponit Albertus, quoniam sensus tactus est quædam medietas, omnia enim organa sensuum consistunt in quodam medio: ideo ea quæ sunt sensibilia, debet esse extra media, cum omne recipiens debeat esse denudatum à natura recepti: sic sensibi- lia de nullo extremorum participare debent, ut dicit Albertus.

D V B I T A T I O L X VI .

A Liud dubium, circa textum 30. cum Aristoteles arguit probando, quod omne cor- pus aut est durum, aut est molle: nam aut coedit tactui, aut non coedit, si est durum, 30 non coedit, & est terminatum termino proprio & habet figuram ex se, non ex conti- nente, & ideo terminatum est: si uero est corpus coedens tactui, tunc id pariter est termi- natum, ut cera quæ coedit tactui, cum non liquefacta est, & est terminata: & sic omne cor- pus siue molle siue durum est terminatum. quoniam aut coedit, aut non coedit. Si coedit est terminatum, si etiam non coedit est pariter terminatum. Videtur hoc argumentum Aristo- telis peccare per fallaciam consequentis: quoniam assumit medium, quod est in plus, quam illud, quod probari debet; nam eodem medio probabitur aquam aut duram esse, aut mollem, quoniam aut coedit aut non coedit. ergo aut est dura aut est molli. Et etiam quodcumque horum dixeris erit terminata aqua. Inter contradictionia enim non est me- dium. Sed coedere & non coedere non sunt propria terminati, sed sunt medium ad proba- 40 dum: aliquid esse terminatum, non proprium sed minus amplum, & quod ad plura se ex- tendit. Hæc dubitatio non est mota ab aliquo, sed est nostra, & uidetur rationabilis. Di- co tamen, quod iudicio meo Aristoteles bene arguit. probat enim quoniam corpus om- ne quod durum est aut molle, terminatum est: quoniam si coedit est molle & est terminatum, & si etiam non coedit, non est molle, sed terminatum & ipsum est. Sed aqua non est ne- que molli neque dura, quoniam non coedit secundum superficiem suam imprimenti, sed circumstat ipsum. Et argumentum Aristotelis optime ualeat.

D V B I T A T I O L X VII .

A Lia dubitatio ibidem est, quoniam Aristoteles determinat de coagulatione, coagu- 50 latio autem habet quatuor causas, ergo de quatuor causis deberet determinare. Sed hic solum numerat tres causas, quod uidetur mirum, cu naturalis loquatur de qua- tuor

Petri Pomponatii dubitationes

tuor generibus causarū, & hic solū tres enumerat, & omittit finem, & tamen ubi est motus, ibi est finis, naturales autē non abstrahunt a motu, sed demonstrāt per oīa genera causarū. Hic est aliqua difficultas. Et Albertus hanc uidit, & dixit q̄, hic non uult Aristoteles trādere perfectam & exactam cognitionem, quia tractaret etiam de quarta illa causa. Alexander autem excusat, quoniam forma & finis coincidunt, tractans ergo de forma tractat etiā de fine, cum sint idem. Vtraque expositio stare pōt, tamen sanior est sententia Alexandri. Coagulationis enim est forma & finis. Vtilitates tamen coagulationis Aristoteles hic non ponit, pertinet forsan ad librum de animalibus, & in hoc tunc potest sustineri sententia Alberti.

D V B I T A T I O L X V I I I .

Alia dubitatiacula textualis, quoniam Aristotelis dicit quōd coagulare est desiccare, quomodo hoc uerum est? Considerauit ego multum in hac parte quomodo possint hæc dicta saluari, & imaginatus sum, quōd possunt dari tres respōstiones. prima, quōd coagulatio non est uera desiccatio, sed quodammodo, ut supra etiam diximus in alia quæstione: non enim credo quōd sit uera siccitas, nam cum rursum liquefit & aduenit humiditas, quæro à quo ea generetur: & hæc dicta sunt supra, ideo non repeto. est autem exsiccatio aliquo modo, quia non fluit, sicut etiam alia siccata non fluunt. sic etiam glacies non fluit, & forte Aristoteles ita intellexit. Alio modo credo posse dici, quōd fit siccum ex humido, non quōd fiat uerè siccum, sed quoddam fit quasi medium, ut ex lacte fit iuncta siue lac pressum, quōd est medium inter humidum & siccum, & tamen non est aliud illo: rum uerè, sed quasi mediū. Tertius modus respondendi, & meo iudicio melior, & plus ad textum accedens, quōd coagulari non est omnino exsiccari, nec conuertitur cum illo, nam in olla aqua conuersa in uaporem exsiccatur, non tamen coagulatur; ideo exsiccari est quodammodo magis commune, & coagulare non est siccare secundum totum, sed secundum partem tantum. unde homo est animal non secundum totum, & secundum uniuersam animalis naturam, sed solum ex parte, qua contrahitur per differentiam, quæ est rationale, & hæc tertia responso quæ forsan est melior.

D V B I T A T I O L X V I I I .

Alia dubitatio, quoniam dicitur ab Aristotele, quōd humidum est in aere & siccum in igne; hæc duæ qualitates sunt ualde intensæ in illis, tamen aqua & terra dicuntur elementa magis passiva quām aer & ignis. Hoc mihi facit aliquam dubitationem, hanc autem nullus latinorum uidit, uidit tamen Alexander, & ratio est quoniam græci innituntur textui, latini uero fabulis quas ipsi ex suo capite imaginantur. Alexander dicit, quōd bene uerum est, quōd aeri conuenit humiditas & igni siccitas, non tamen ea ratione quōd specificentur per illas. sed terra & aqua specificantur per illas. Considerauit ego dicta Alexandri an possint stare; nam quōd terra conseruetur per siccum, hoc negari non potest, cum terra sit prima omnium siccorum; sed aqua ipsa non est prima omnium humidorum. ergo bene intellexit, cum aer sit primū humidorum, & multo humidior quām aqua. Nescio ego, quid Alexander intelligat per specificari; nisi uelit intelligere, ut Aristoteles in secundo de generatione intellexit. Sed hoc esset contra eum, quoniam Aristoteles dicit in illo loco, quōd aqua est primum frigidorum. Si ergo intelligit specificari, id est, esse tale summè; tunc omnia faciunt contra eum. Considerauit etiam an uelit dicere, ut dicit Commentator secundo de anima comm. 115. quōd, si aliquid est ualde humidum, oporteat ut id habeat aliquid specificans ipsum. Sed quid de aere dicendum erit? oportebit enim aerem quoque ipsum habere aliquid specificans ipsum, ad hunc sensum, quod non inuenio; nisi uellemus incidere in sententiam Senecæ, qui uoluit aerem esse frigidum. Ego ingenuè fateor me non intelligere, quid uelit Alexander, tamē dicā quod sentio. Non uideatur mihi Aristoteles dicere, q̄ terra sit summè siccata, & aqua summè humida: & q̄ propterea

10

20

30

40

50

in quartum Meteor. Arist.

40

propterea habeant rationem passiui: sed aqua & terra habent rationem passiui propter eam copulentiam, & non aliter, ut etiam diximus in tex. 28. intelligit enim passibilitatem peruenire ex corporeitate & grossitie, quæ magis se tenent ex parte principij passiui quām actiui. cur autem ego iudicem hoc esse ad mentem Aristotelis, audietis infra, quoniam dicit [ponimus autem aquam esse corpus humidum] uult enim quoniam corpus est grossum copulatum aqua & terra, ideo utrumque habere rationem passiui principij magis quām actiui. Et forte hoc uoluit dicere. Alexander sed hoc non uidetur mihi posse ex eius uerbis elici.

D V B I T A T I O L X X .

Alia dubitatio oritur ex dictis Aristotelis in hoc eodem textu 30. quoniam dicit frigidum non esse actuum nisi per accidens, in generatione mixti. & medici sāpe citant hunc locum, & uolunt frigidum esse ut diabolum, qui omnia bona peruerit. Vnde frigidum non agit nisi corrumpendo. Sed contra frigiditas generat frigiditatem. omne enim simile generat sibi simile, & corrumpit suum contrarium & apud medicos & philosophos est maxima quæstio. Auic. etiam dicit, quōd frigidum est inimicum naturæ, paralyticum faciens. & Concil. differ. 6. facit pulchram questionem de hac re. Ego respondeo saluo meliori iudicio, quōd argumentum concludit ueritatem. appropriauit autem caliditati generationem, frigiditati corruptionem, quoniam in uia generationis mixti frigidum est ut passuum, & non ut principium actuum. nam digestio & forma inducunt a calido tanquam effectu; à frigore uero tanquam adiuuante & temperante nimis calidum, quod alias combureret nisi esset frigidum temperans. Secundo etiam, frigus corrumpit, & calor uiuificat, uita enim stat in calido, & mors in frigido, ex lib. de mort. & uita. Vnde poetæ fingunt solem patrem uitæ propter calorem, omnia enim opera uitæ & sensatio & intellectio in hac uita mortali saltem per accidens & secundario, fiunt in homine à calido naturali. Cum autem dicit Aristoteles, quōd frigidum generat, non intellexit quōd frigidum per se generet. frigidum enim per se facit frigiditatem; sed per accidens generat uitam & mixtum, ut prius dictum est in tertio lib. cap. de generatione fulguris & tonitru, & in prima part. aphorism. ibi, Ventres hyeme & uere &c. respondetur per antiperistasis fieri maiorem calorem à frigido circumstante ipsam caliditatem inclusam: & propter hoc in æstate, qui lauantur aqua frigida, maiorem postea sentiunt caliditatem: quoniam pori cutis clauduntur, & calor intra contentus unitur, & fortificatur; si uero laueris aqua calida, pori aperiuntur, & calor exire potest, & dispergitur; & per accidens fit maior in frigidatio, quoniam calor exhalat ex poris apertis: & sic exponunt hīc Gaietanus & Alber. & exponunt copulatiuè hunc locum, & meo iudicio malè: licet enim expositio sit uera in se, dicit tamen Aristoteles [aut] Alexander exponit disuinctiū, & mihi magis placet ad intellectum textus. dicit enim quōd frigidū dupliciter potest se habere, & generare calorem, uno modo ut in nubibus, quando generatur fulmen & tonitru. tunc enim descendit ignis & comburit, quoniam frigidum stringit insequendo illud calidum, quod fugit: aliomodo, ut in hyeme, cum frigus est in aere, & tamen aquæ in fontibus sunt calidæ; uapores enim elati à terra & uisceribus eius, miscentur aquis fontium; & sic fontes calefiunt. & hos duos modos intellexit hīc Aristoteles, & distinxit per coniunctionem [aut]. Aliud notandum, quoniam superius diximus aquam & terram specificari, aerem & ignem non specificari, ad mentem Alex. si autem uolumus intelligere specificari, id est, specie distingui, non potest intelligi dictum Alexandri, ut supra dixi. Dominus Lazarus dicit, quōd specificari est transire in speciem mixti, & uidetur esse alia expositio. Ego tamen credo quōd uelit Aristoteles duo illa, scilicet terram & aquam esse ualde copulata in constitutione mixti, & aerem & ignem corpus non facere in mixti constitutione. nec inuenio in mea grammatica quōd specificari significet transire in speciem: sed bene constitui in specie. tamen alii iudicent.

DVBI-

Petri Pomponatii dubitationes

D V B I T A T I O LXXI.

Alia dubitatio circa textum 31. quam nullus mouit. Albertus dicit, quod non est uerum, quod Aristoteles uelit aquam desiccari. & exponit [&] pro, idest, aqueum desiccatum, quod habet aliquid de terra; sed aqua ipsa non exsiccatur. Haec expositio Alberti non uidetur esse uera. Nam exsiccatio & humectatio opponuntur, humectari est fieri aquam ex uapore: aliter enim cum aqua ex uapore fieret, sequeretur quod fieret exsiccatio, quod est falsum: & similiter cum ex glacie fit aqua, fit etiam humectatio. sed, si uerio ex aqua in uaporem, uel in glaciem; oportet certe si contrarium humectationis est exsiccatio, has esse exsiccationes: quare necesse est aquam subiectum esse non solum humectationis, sed etiam desiccationis. Item aqua congelatur, sed congelari quo modo est conuertibiliter exsiccati: ergo positio illius stare non potest. nam Aristoteles uult humectari & exsiccati esse de eodem, quod scilicet, si ex spiritu siue uapore fit aqua; exsiccatione fit humectatio. si ergo aqua congelata ex liquefactione fit humida: ergo si congelabitur, fit sicca. hoc enim est necessarium. Verum si congelatio est exsiccatio, tunc alia dubitatio oritur contra philosophum, nanque congelatio immediate fit à frigido, & non à calido. Dixit autem Aristoteles supra, quod omnia, quae exsiccantur, exsiccantur à calido: ergo Aristoteles sibi ipsi contrarius est. Est maximam dubium hoc in Aristotele, quoniam desiccari & humectari sunt opposita: ergo si quando fit ex uapore aqua, fit humectatio, èconuerso quando fit ex aqua uapor, fit exsiccatio: et hoc non uidetur posse dici, cum uapor sit de natura aeris, qui est sumnum humidorum. Item si aqua congelata liquefiendò fit humida, ergo per contrarium, quando congelatur, fit sicca: ex contrarijs enim causis fiunt contrarijs effectus. quomodo ergo stabit hoc, quod dicit Aristoteles, quod omnis exsiccatio fit à calido aut interiori aut exteriori? si enim omnis exsiccatio secundum eum immediate fit à calido, aqua tamen non congelatur à calido sed à frigido. Adde quod si hoc est, ergo & frigidum quoque exsiccabit, nam cōgelari est exsiccati quo modo. Certe ego non uideo modum saluandi Aristotelem in hoc loco, propterea quod si ex spiritu fit aqua, haec est humectatio, ut patet ad sensum; quis enim dicat aquam generari per exsiccationem? ergo per contrarium quando fit uapor uel aer ex aqua, erit ex 30 siccatio; quod tamen dici non potest, cum aer humidior sit aqua, & sit primum humidiorū. Alexander unum dicit, sed non ad hoc propositum, quod uerum est. & ego notaui etiam in primo huius. quod semper cum humido eleuatur uapor siccus inclusus. Sed hic uapor siccus non est, qui conuertitur in aquam, sed mutatur in ignem; nec est terminus ad quem illius generationis, quoniam ex aqua fit aer uel uapor. Forte intellexit Aristoteles, quod aer non est humidus eo modo, quoniam aer manifestè non humectat corpora, sicut facit aqua: & quod ea ratione dicatur siccus. Meliorem solutionem ego non habeo. si uos uultis meliorem, quærите.

D V B I T A T I O LXXII.

40

Alia dubitatio, quoniam in textu 34. Aristoteles, dicit, quod exsiccatio fit à calido: quod autem exsiccatur à calido, liquefit à frigido. dictum est autem, quod, quando humidum exhalat, tunc fit siccitas. uidetur tamen contra Aristotelem, quod desiccatio fieri possit immediate à frigido, & non secundario, idest uniendo calidum. nam quod frigidum faciat exhalare, probatur, quia comprimento exprimitur humidum à frigido, & ita fit exsiccatio; sicut lotrices, quae torquendo pannos & exprimendo exsiccant pannos lauantos. quomodo ergo caliditas facit hunc effectum? Vos uidetis modum Aristotelis. auditis etiam quae ego dico, mihi enim uidetur sāpē fieri exsiccatio etiam à frigido immediate. Aristoteles tamen dicit [omnis exsiccatio] & loquitur uniuersaliter. Ego ostendo uobis dubitationem. ostendatis uos solutionem. multi uolunt Aristotelem in omnibus bene dixisse, & stulti sunt. Multi uero respondent hīc, quod strictius accipiatur hoc in loco

in quartum Meteor. Arist.

41

in loco exsiccatio, scilicet pro arefactione, quā certum est fieri à calido: & hoc uidetur sentire Albertus, quoniam arefactio fit à calido, quod arefacit, & exsiccat. & sic uidetur prima facie dicendum. Est tamen difficile hoc sustinere, qd Aristoteles in tam paucis uerbis posuerit æquiuocationem. non n. uidetur dignum maiestate tanti philosophi licet. n. philosophi pauca uerba multis onerent sententijs, esset tamen graue tantum uirum in tam paucis uerbis æquiuocasse. Et præterea non potest stare hæc expositio. quoniam loquitur hic de exsiccatione opposita humectationi: & si de arefactione hic loquitur Aristoteles, exemplum humectationis oppositæ exsiccationi, est cum ex uapore; fit aqua, eius ergo oppositum erit arefactio, quando scilicet ex aqua fit uapor: ergo secundum te generatio aeris ex aqua erit arefactio, quod est contra Aristotelem. Oportet ergo dicere aut Aristotelem errasse, aut ponere aliam humiditatem oppositam arefactioni.

D V B I T A T I O LXXIII.

Alia dubitatio, quoniam dicit Aristoteles in tex. 36. res à calido & sicco coagulari posse. prius autem dixit, quod frigidum, & siccum sunt passua. quomodo ergo siccum erit actuum & coagulans? Hic non dico Aristotelem errasse. Dico tamen quod omnis homo mendax. Do autem duas responsiones, quarum utraque est talis, qualis potest. Sequemur autem eorum errorem, qui uolunt tueri omnia quæ dixit Scotus, aut Beatus Thomas, aut Aristoteles. tenendo igitur omnia dicta Aristotelis esse uera, respondebimus, primò, quod uerum est, quod illa sunt passua, ut dicit Aristoteles: tamen hoc intelligi debet, ut in pluribus. nam non repugnat, quod etiam aliquando sint actiua. Secunda responsio, quæ forsitan minus placebit, est, quod siccum non habet proprium modum agendi quod corruptat: sed tamen uidetur habere modum actionis; quoniam retinet ipsum humidum, & retinendo dicitur agere. Valeat hæc responsio quantum potest.

D V B I T A T I O LXXIV.

Alia dubitatio. Quæritur cur Aristoteles hic tacuit de humiditate? Dico qd humiditas non habet rationem retinendi, sed fluendi, ut dicit Auic. nam in stomacho relaxato applicant medici stiptica, quae retineant, & exsiccant: et non ea, quae fluxibilia sint & lubrica; proprium enim est humili facere fluxibilitatem, & non retinentiam.

D V B I T A T I O LXXV.

Alia dubitatio, quoniam dicitur communiter hic, quod sal exsiccatur à calido & siccoco: ergo per oppositum deberet liquefieri à frigido & humido. Sed contra, quia etiam liquefit à calido & humido scilicet in aqua calida, ut patet per experientiam. Possimus duplum respondere, uno modo, quod argumentum concludit, alio modo, quod non tam bene liquefit à calido, sicut à frigido, in hyeme enim liquefit de se propter frigiditatem: non sicc autem in aestate. Sed an postea possit exsiccati à frigido? Credo quod non possit exsiccati nisi calore. quia tamen causa propinqua siccitatis est siccitas, forsitan etiam caliditas omnino non causat siccitatem, sed siccitas. Vos considerabitis super hoc.

D V B I T A T I O LXXVI.

Alia dubitatio, quoniam in eodem textu 36. Aristoteles dicit, quod mel elixatum coagulatur ab aqua; non quidem ab aqua in quantum aqua; sed propter frigiditatem existentem in ea. Sed quomodo frigiditas est in aqua, cum elixatio fieri à calido? oportet enim in aqua esse etiam caliditatem, si debet fieri elixatio, cum in aqua frigida nihil possit elixari. Gaietanus dicit, quod adhuc tamen in aqua est aliqua frigiditas, quod tamen

Petri Pomponatii dubitationes

tamen ego non possum intelligere. Videte uos quid ille dicat, & si ex eo possitis soluere hoc dubium. Ego dicerem, & aliquid dicam siue bonum siue malum, quod duplex est mel, coctum & crudum; mel crudum est uscosum, coctum autem est magis liquidum, & tale scilicet coctum si ponatur in aqua cruda, & frigida, coagulatur & inspissatur. Et sic credo quod Aristoteles non intelligat absolute, sed comparatione ad mel crudum. Ulterius dubitatur, quia dixit Aristoteles quod mel non coagulatur ab humido, sed a frigido. dicit aliquis, unde habuit hoc Aristoteles cum non ponat huius rationem? Ego dicerem quod hoc potest sciri magis per experientiam quam per rationem; potest tamen esse ratio quoniam humiditatem uidemus illius esse naturam, quod facit fluere, & non inducit constantiam sed fluxibilitatem. ideo credendum est quod id proueniat magis a frigido quam ab humido.

D V B I T A T I O LXXVII.

Alia est dubitatio, quoniam ibidem Aristoteles ita arguit. Si aliquid liquefit a calido & sicco, hoc coagulatur a frigido, & humido. Ex hoc possem ego arguere de cera, quoniam cera liquefit a calido & sicco: ergo coagulabitur a frigido & humido. Si similiter plumbum, aurum, & pleraque alia liquefiunt a calido & sicco: ergo coagulabuntur a frigido & humido. liquefiunt enim ab igne & non ab aqua, quae etiam sit feruentissima, ut habetur 24. problem. Hac omnia tamen congelantur tam a frigido & sicco, quam a frigido & humido, ergo contra Aristotelem. Ad hoc dicam per conjecturam, & non aliter, quod Aristoteles bene dixit. Et ad argumentum, nego antecedens, quod aliqua liquefiant a calido & sicco: quod enim liquefit, liquefit per se a calido; quod uero hoc calidum sit siccum, uel humidum, hoc non est per se causa liquefactionis, sed per accidens, quia si possibile esset, quod summi possit solum calidum sine humido & sine sicco, tunc aequè bene liquefaceret, sicuti coniunctum cum alijs qualitatibus. Sed dices, si hoc esset uerum, sequeretur, quod etiam calidum cum humido liquefaceret: sed hoc non facit: oportet enim quod accedat siccum. Dico, ut dicit Aristoteles in 24. part. problem. problematis primo secundo & tertio, quod humorum est prohibere liquefactionem: unde si sit aliquod uas stanni ruptum, & uelis coniungere cum plumbo, aut stanno, & stannum imponas ponendo ad ignem in aqua etiam feruentissima, tamen nunquam coniungitur. Et si dicas, ergo humidum prohibet liquefactionem. Dico quod humidum prohibet liquefactionem: sed propterea tamen siccum causa non est liquefactionis nec promouet.

D V B I T A T I O LXXVIII.

Alia quæstio, an frigidum cum sicco faciat coagulationem. Si enim facit, mirum est quod Aristoteles non dicat. Si non facit, queritur ratio, quare non faciat. Ego nescio quare, credo tamen quod faciat coagulationem. nunquam enim fieret congelatio glaciei, nisi esset frigus coniunctum cum siccitate. Sed tunc arguitur, si a frigido & sicco fit congelatio, a calido & humido fit liquefactio: sed glacies solum a calido dissoluitur non autem ab humido, ut tu dicebas supra: ergo &c. Ad hanc, Aristoteles non dixit quod congelatio fiat a frigido & sicco: quia est notum de se de glacie, & uoluit hoc subintelligi; ratio autem cur hoc sit, ego nescio. Sed cum dicas, si a frigido & sicco fit congelatio: ergo a calido & humido fit liquefactio: & sic glacies dissoluitur non a sola caliditate sed etiam humiditate. Dico quod calidum etiam solum liquefacit: sed non tam bene & tam cito ut calidum & humidum: fit enim hoc magis a calido & humido quam a calido solo, uel etiam a calido & sicco. siccitas enim non est uera causa liquefactionis, sed causa sine qua non. Videmus autem, quod citius dissoluitur hyemali tempore quando est glacies cum pluit, & est aer calidus, quam, quando solum calidum est, aut siccum & calidum, licet utroque modo consumatur,

DVBI-

in quartum Meteor. Arist.

42

D V B I T A T I O LXXVIII.

Alia dubitatio, quando dicit Aristoteles in tex. 37. quod aqua non ingrossatur, quia nihil in ea sicci habetur. Et ego in secundo de generatione dixi, quomodo aqua non potest ingrossari, & sum ibi insequutus Albertum & Marsilium in eo secundo de generatione, quia si aqua congelatur, hoc fit ratione terræ cum ea mixta. Hic tamen uidetur dici oppositum, & contradicit hic textus communis opinioni, licet ego sim sequutus illam communem opinionem. Sed quomodo soluatur contradictionis huius loci, est alterius considerationis: & non pertinet ad hunc locum.

D V B I T A T I O LXXX.

Alia dubitatio dicit Aristoteles quod aqua congelata non est ingrossata. Vellem ego scire differentiam inter congelationem & ingrossationem secundum Aristotelem. Certum est enim, quod non quicquid congelatur, ingrossatur: neque quicquid ingrossatur, congelatur: multa enim congelantur, quae non ingrossantur, ut aqua congelata: & aliqua est contra ingrossantur, quae non congelantur, ut patebit in tex. 40. de oleo: oleum enim ingrossatur; sed non congelatur, ut dicit nostra translatio. Vellem ergo scire differentiam inter illa, cum non sint idem. Dici fortasse possit ingrossata ea intelligi, quae cum crassifcent, non tamen remanent sicca, quale est oleum. congelata uero quae ubi facta sunt crassiora, etiam dura sunt, & constatia, qualis est aqua. & haec significatione & distinctionem ego fingo. magna tamen est difficultas, quomodo aqua dicatur congelari & non inspissari: & quomodo Padus dicatur congelari, & non inspissari, hoc certe uidetur mirabile. Et quamvis ego fidem adhibeam Aristoteli, non tamen intelligo, quomodo aqua congeletur & non inspissetur. Et quod maxime me mouet, est, quia in tex. 40. dicit Aristoteles, quod fit ingrossatio, quando ex aere fit aqua, cum tamen ibi non sit expulsio humidæ & remanentia sicci, & constantis, immo generetur humidum. Certè magna res est habere autoritatem, & existimationem. ac si quis alias diceret haec deliramenta præter Aristotelem; profecto derideretur. Forte autem aequiuocè usus est uocabulo ingrossationis, quod ego nescio. Et ingenuè fateor me non intelligere quid uelit Aristoteles, hoc in loco.

D V B I T A T I O LXXXI.

Alia est difficultas, & non parua in tex. 38. quando Aristoteles dicit quod aqua & terra, & aqua simul congelantur & ingrossantur tam a calido quam a frigido. postea dicit quod sanguis & lac, quod non est coctum, est aqueum & terreum. tamen lac congelatur, sed ingrossatur. ipse tam dixerat [Quæcumq; autem]. Dicatis uos, quod ea fuit distributione accommodata, id est, quae possunt, congelantur: & ea quae congelantur, mixta sunt ex aqua & terra, non quod omnia congelentur. Ego non habeo responsionem aliam melioris. dicatis uos, si habetis.

D V B I T A T I O LXXXII.

Alia est dubitatio, quoniam dixit Aristoteles cum glacies generatur, non fieri hoc per ingrossationem. queritur ergo, cum lac ingrossatur, dicitur ingrossari, cur glacies autem non dicitur ingrossari? Dico, quod glacies non ingrossatur, ingrossatur autem lac: quia partes humidæ resoluuntur in lacte, & siccæ remanent; non autem sic de glacie.

D V B I T A T I O LXXXIII.

Alia

Petri Pomponatii dubitationes

Alia est dubitatio, quoniam dicit in textu 40. quod sales liquefiunt humido, non quo-
cunque, sed humido frigido. uidetur mirabile, quoniam uidemus quotidie sal lique-
fieri in aqua calida, & in ferculis, & alijs huiusmodi: praterea dicit, quod oleum, licet sit
humidum liquidum, tamen non liquefit, quoniam est calidum. sed ad hanc ego teneo con-
trarium: de aqua enim calida nulli est dubium. sed quod Aristoteles oppositum dixerit, for-
tasse non uidit hoc, apt in eius patia sales eius erant naturae: aut solebat dissolui in aqua fri-
gida. Vnde licet uerum sit, quod dicit Aristoteles, sal liquefcere in aqua frigida; multi tamen
mihi retulerunt, & ego expertus sum, melius liquefcere in aqua calida quam in frigida. Et
ideo constat, quod Aristoteles hac in re errauerit, quia fortasse non aduerterit. Sed quid
dicendum erit de oleo? Domini ego nescio quid dici oporteat, neque possum Aristotelem
defendere. Si errauit, eius sit damnum.

D V B I T A T I O LXXXIII.

Alia accidit dubitatio, quoniam dicit ibidem Aristoteles, quod omnia, quae plus a-
qua habent quam terrae, illa ingrossantur tantum a calido, siue igne; & non coagu-
lantur. hoc autem contradicit manifeste textui 37. ubi dicit, quod ea, que sunt communia
terre & aquae, coagulatur ab igne, & a frigido. Vnde contradicatio est manifesta in libris Ari-
stotelis. Dico tamen forte intelligere Aristotelem, quod commune ex aqua & terra coagula-
tur, aliquando a frigido, & aliquando ab igne. Sed non eadem res coagulatur a frigido &
a calido: & dictio [&] capitul disjunctiu, id est secundum unum modum coagulatur a calido,
secundum alium a frigido. tamen haec glosa non placet. Nam Alexander dat exemplu hic
de lacte, quod exemplum uidetur contradicere illis uerbis Aristotelis in tex. 37. Ulterius
omittendo contradictionem, quae est in Aristotele, adhuc uidetur quod lac plus habeat de
humido, siue de aqua, quam de terra. Nam mihi uidetur, quod, quae plus habent de aqua
quam de terra, ingrossantur a calido: & talia primo ingrossantur ab igne & postea coagu-
lantur. Vnde credo, quod si sumeretur lac, & ignis ageret in ipsum; coagularet. uidetur ta-
men hoc impossibile. De alio autem, quod plus habet de terreo, & non ingrossatur; fat
dictum est in diffinitione ingrossationis.

D V B I T A T I O LXXXV.

30

Alia dubitatio occurrit in eodem textu 40. quoniam Aristoteles non soluit quaestio-
nem de oleo, neque respondet ad argumentum: quoniam aut terreum est oleum, aut
aqueum: si aqueum, congelabitur a frigido; si terreum, a calido. Aristoteles non re-
spondet ad argumentum. Quod si quis dicat, quod est aereum: contra quoniam dixit omnia
aut esse aquae aut terreae: aerea autem non est materia coagulationis: sed omnia quae
coagulantur aut sunt aquae, aut terreae: ipse autem dicit quod oleum nullum illorum est. Dixerat ta-
men antea Aristoteles quod omnia aquae & terrea coagulantur ab igne & a frigido: & pro-
pterea cum locutus sit uniuersaliter dicens, [omnia] nihil exclusit, sed etiam ipsum oleum
inclusit.

D V B I T A T I O LXXXVI.

Alia dubitatio, quoniam oleum ingrossatur tam a frigido, quam a calido; sed non co-
dem modo: cum enim ingrossatur a frigido, tunc ex aere fit aqua, & ex materia ra-
ra fit materia densa. Sed si aer ingrossatur cum conuertitur; nonne hoc fit per es-
tientiam humidi, cum fiat aqua? ergo ibi adueniet humidum aqueum, quod prius non ad-
fuit. Sed in textu 36: in fine dicit philosophus, quod ingrossatio fit ab eunte & resoluto,
siue exhalante huimido: non dicit autem adueniente humido. hic autem aduenit humidum,
quoniam fit aqua.

50

D V B I -

in quartum Meteor. Arist. 43

D V B I T A T I O LXXXVII.

Alia dubitatio, quoniam dicit, quod mixtu ex oleo & aqua est grossius quam oleum.
Hoc primo est contra rationem, quoniam oleum & aqua sunt aequaliter grossa: ergo com-
positum ex eis non est grossius factum, intensius saltem, licet forsitan bene extensius:
nam aer iunctus aeri, & aequaliter additum suo simili, non reddit ipsum intensius, nec gro-
sius, nec subtilius. Si autem oleum est grossius aqua, uel aqua grossior oleo; tunc non
staret regula: quando scilicet aliquid miscetur & subtiliter & grossio, tunc mixtum ex illis non
fit grossius, sed subtilius. non enim fit unquam mixtum ita grossum, ut componentia
grossiora, nec ita subtile, ut componentia subtilius: subtile enim subtiliat grossum, &
remitit in eo grossitatem: grossum etiam aufert de subtilitate, & reddit quod subtilius erat,
grossius, quod exemplo patet de ijs, qui faciunt pultes.

D V B I T A T I O LXXXVIII.

Alia dubitatio, dicit Aristoteles, quod oleum fit grossum & albescit; albescit autem,
quoniam separatur aqua, & partes aerae remanent, & sic coagulatur, & fit grossius.
dixit autem prius, & dicit infra, quod aqua in eo non potest euaporare propter sui visco-
statem; hic autem dicit, quod aqua euaporat: ergo sibi contradicit. Vos considerate.

D V B I T A T I O LXXXIX.

Alia dubitatio, dicit Aristoteles, quod aqua descendit ex oleo & albescit propter
per conuersationem aeris in aqua? certe, cum contrariae causae debeat facere contrarios
effectus, si absentia aquae cum praesentia aeris est causa albedinis: ergo cum ingrossatur,
quoniam aer conuertitur in aquam, tunc debet fieri denigratio in oleo, cum causa ista con-
trarietur priori cause; & effectus contrariari merito debeat.

30

D V B I T A T I O X C.

Alia dubitatio, dicit Aristoteles, quod cum oleum ingrossatur, tunc aqua humidi-
tas non potest exsiccari, quoniam nec calor nec frigus possunt ipsum exsiccare, pro-
pterea quod tunc sit uiscosum. Sed contra, ex aere fit ignis per exsiccationem: & ex ae-
re potest immediate fieri terra per exsiccationem, quae necessario concurrit, ut dicit Arist.
in secundo de generatione. quomodo ergo stabunt ea quae dicit philosophus? cum cali-
dum possit exsiccare aerem; quare non deberet posse exsiccare aquam? uidetur enim uale-
re, & conuerti, si potest exsiccare aerem: ergo aquam: si aquam, ergo aerem. & prae-
terea re ipsa uidemus, quod calor maximus exsiccatur aquam, & etiam frigus congelando.

D V B I T A T I O X CI.

Alia dubitatio, dicit philosophus in tex. 41. quod sanguis est duorum modorum. ali-
quis est terreus, & is coagulatur, quoniam inspissatur ex frigiditate: alius est aquosus,
qui non coagulatur a frigido. Sed hoc uidetur contradicere illis quae prius dixerat, quia quae
sunt composita ex aqua & terra, & plus habent de aqua, coagulantur, & ingrossantur a fri-
gido: ergo sanguis aquosus magis deberet coagulari a frigido, quoniam plus habet aquae;
sanguis uero terrestris deberet magis coagulari a calido. similiter lac coagulatur a calido:
ergo & sanguis terrestris coagulari debet a calido & sic quae sunt similia. sanguis enim por-
ci coagulatur a frigido, & cum apponitur igni, tunc iterum liquefit. quid ergo dicendum?
Dico, quod Aristoteles bene dicit, & in eo nulla est contradicatio. Ad argumentum, quod
H coagula-

Petri Pomponati dubitationes

coagulatur à frigido, plus habet de aqua quam de terra, dico quòd si sanguis sit extractus ex uena, tunc euaneſcunt partes calidæ & ſpumofæ; & illæ partes, quæ remanent, contra hunc ſe ſimul, & totum remanet quæſi ſiccum; & in illa materia poſtea dominatur frigus, quoniam partes ſpumofæ diſceſſerunt, quæ erant humidæ: quibus extractis reliquum remanit ſiccum. Et cum dicis, quæ coagulanſtur à frigido, plus habent de aqua, quam de terra; dico, quòd iſta congeſtio non fit hoc modo. Nam hic fit congeſtio à frigido; non quia humidum ab eo congeſetur, ut prius intellexerat; ſed quia calidum, & humidum euaporat, & extrahit: ideo quod remanet, ingroſſatur, & fit ſiccum; prius autem intellexerat de uera coagulatione, quando frigidum conſtringit humidum, coagulat. & per hoc reſpondet ad ſecundum argumentum, quia ſanguis extractus à uenis relictus na- 10 turæ ſue nunquam congeſbitur, hoc uerum eſt ſecundum eum modum, quoniam per conſtrictionem frigidi & uera coagulatione: tamen, ſi adueniret frigidum extrinſecum, ut tempore hyemis; tunc bene coagulanſt, ſicut aqua coagulanſt ab intenſo frigore, ſilicit propriè: ſed non fieret illa coagulatione, ſicut fit ea quæ per remotionem partium humi- darum, & calidarum, ut hic dicit de ſanguine. & hoc modo mihi uidentur poſſe dilui ar- 20 gumenta de lacte & ſanguine, & aliter nullo modo. Vlterius, ſi dicas, quòd non eſt ſimiilitudo de lacte & de ſanguine: concedo quòd non eſt ſimiilitudo in hoc, quòd unum coagu- latur à calido, alterum autem à frigido. eſt tamen ſimiilitudo in hoc, quòd utrumque habet & de aqueo & de terreo; licet alijs cauſis coagulentur & liquefiant.

20

D V B I T A T I O X C I I .

Alia dubitatio, dicit Aristoteles in eodem textu 41. quòd non poſteſt ſolui à calido quod prius fuit coagulatum à calido: ea autem quæ coagulata ſunt à frigido, frigi- dum non ſoluit: hinc fit, ut ſi aliquid coaguletur à calido & à frigido, illud ſiat omnino in- ſolubile. Nam hic, aut intelligitur hoc ſimul, & tunc cum calidum & frigidum ſint contra- ria; non ſimul agunt: aut ſuſceſſive, & tunc id erit aut quia primo calidum agat liquefacie- do, & poſtea frigidum ſuperueniens coagulet: aut calidum indurēt & frigidum ſuperue- niens augeat illam coagulationem. Quare ergo an prius calor liquefecerit, & poſtea fri- 30 gus coagulauerit: uel utrumque coagulauerit. Si dicas primum; hoc eſt falſum, quoniam uidemus contrarium, & quod ultimo loco induruit à frigido, nihil obſtar rurſum liqueſce- re à calido. liquefiunt enim à calido quæ indureſcunt à frigido. ſi ſecundum, hoc etiam eſt falſum, qm̄ quod à calido induratur, non poſteſt etiam indurari à frigido: cum contrarij ef- fectus procedant à contrarijs cauſis. ſi enim contraria cauſa; non poſſunt eundem produ- cere effectum. Ex preſenti textu & ex textu immediate präcedenti, credo ſic reſponde- dum, quòd ab ambobus coagulanſtam à calido, quam à frigido. Et quando arguis, quæ- cunque liquefiunt à calido, indurantur à frigido: et quæ indurantur à frigido, liquefiunt à calido dico hanc regulam non eſſe uniuerſalem, & non habere ueritatēni niſi res habeat multum de humidu, & ſit liquefactibilis, ideo illa propositio nō eſt uniuerſaliter uera. Et ſi quæras, quare uis, quòd frigidum etiam congeſtetur? dico quòd frigidum non coagulat, 40 ſed ſolum adiuuat coagulationem. Et cum arguis, quòd unus effectus non fit à contrarijs duobus. uerum eſt, quòd duo cōtraria per ſe & ſecundum unum & eundem modum nō po- ſunt producere unum & eundem effectum: ſed poſſunt tamen per accidens, ſiue per aliud: quoniam cum calidum extraxit humidum, & ingroſſauit; tunc, ſi remanit aliquid de humili in poris, & ſuperueniat frigidum, conſtrinet poros ipſius & magis uniet, & indurabit ſe in poris; neq; calidum poterit diſſoluere illud paruum humidum, quod in eo remanit, cum propter ſtricturā pororū ingredi nō poſſit. Sed tunc dicitis. ergo Aristoteles Democriti, quòd quā tamē tertio cœli & primo de generatione damnet hanc opinionem Democriti, quòd actio ſiat per introitum per poros. poſuit enim Democritus, quòd corpora atoma intrēt & exeant per poros. Ego dicerem, quòd philoſophus affentitur Democrito in hoc, quo- 50 niam concedit poros: diſſentitur uero, quoniam Democritus uult ut ſiat per indiuiſibilia; Aristoteles autem uult ut corpus diuiſibile quòd eſt frigidum, intret per poros, & ita

in quartum Meteor. Arist.

44

ita generetur ibi noua frigiditas & plus agit, quoniam melius applicari poſteſt in actione ſuo paſſo.

D V B I T A T I O X C I I .

Alia dubitatio, poſto quòd illa quæ diximus coagulata à calido & frigido eſſent pri- mo frigefacta, & poſtea calcfacta; quaritut an ſimilis evadant inſolubilia. Aristoteles nihil dicit, mihi aut uidetur, quòd non ſi. n. ſit aliquid coagulatū à frigo- re: ſicut à frigiditate conſtrictis poris, id quod erat humidū continetur, ne effluat; ita illud 10 humidū poſtea à ſuperueniente caliditate diſſolueretur, & ideo non poſteſt fieri inſolubi- le, ſed fieret poſtius maximè ſoluble.

D V B I T A T I O X C I I I .

Aliud dubium ibideſ ſatis rationabile, quoniam lignum habet in ſe aerem & aquam, cum, ut dicitur in tex. 29. omne mixtum à prædominio ſit terreum, & aereum: Aristo- teles tamen hic dicit quòd omnia ligna ſunt aerea, quoniam ſupernatant in aqua præter ebanum: ergo ſibi cōtradicit. Dico ſecundum cōmunem reſpoſitionem, quòd om- ne mixtum à prædominio eſt terreum & aqueum; ſed tamen aliqua plus habent de terra 20 & aqua, ratione molis, licet forſan ratione uirtutis aliqua habeant plus de aere: & plus ua- let aliquādo parum aeris in mixto aliquo, quam multum terræ & aquæ, ut in opio, pipere, ſcaminonea, quæ ſunt fortissimæ res ratione uirtutis, licet ſint minimæ ratione molis, ut in ſcammonēata medicina quæ habeat ſolum unum granum ſcammonæ, tunc fortior eſt illa parua uirtus ſcammonæ quam multa alia quæ ingrediuntur, longe plura & mai- ra in mole. Beatus Thom. diceret, quòd intelligit comparatiuē. Ego credo Aristoteli: non tamen credo quòd plus ſit in ligno aquæ & terræ, quam aeris, ut alijs dixi.

D V B I T A T I O X C I I I I .

Alia dubitatio in eodem tex. 41. dicit Aristoteles quòd later ſeu ſicſile eſt tantum ter- ra, & tamen eſt mixtus. Dico, quòd sermones antiquorum ſemper ſunt intelligendi ſecundum bonum ſenſum: lateres enim ſunt terrei ſecundum maiorem partem, non omnino. tam parum enim eſt in eis de alijs elementis, ut nihil eſſe uideantur.

D V B I T A T I O X C V .

Aliud dubium, dicit Aristoteles, quòd later coagulanſtam ſecundum modicum. Ale- xander hoc uidit. Et dicit quòd later eſt ſolum terra, quæ eſt illiquefactibilis: aqua enim eſt extracta, & pori ſtant aperti, & quæſi eſt totus terreus, quoniam calidum 40 coagulauit paulatim terram; unde & aqua facile poſteſt in eum imbibiri.

D V B I T A T I O X C V I .

Alia dubitatio, dixit in eodem textu Aristoteles (& omnes Alchimistæ & medici ſae- pe adducunt hanc propositiōnem) quòd ea quæ liquefiunt à calido, coagulanſtur à frigido, & quæ coagulanſtur à calido liquefiunt à frigido. quòd autem frigidum coa- gulet, nō eſt mirū, cū frigidū ſit conſtrinet, coagulare, immobilitare. Sed quòd frigidum liquefactat, mirū eſt, cum calidi ſit rarefacere. De eo, quòd frigidum condenset, patet: hyemali enim tempore uidemus stillare naſu. quòd idem frigidum liquefactat, ex eo pa- 50 tet, quòd ſemen emiſſum, cum parum ſteterit in terra, ſit aqueum, & euaneſcit concretio & inſpiſſatio ipſius. Dico igitur, quòd quæ liquefiunt à frigido, coagulanſtur à calido, ſed nō per ſe, immo per accidens, ut dicit etiam Io. Grammaticus ſecundo de generatione. Nam

H 2 per

Petri Pomponatii dubitationes

permotum localem calidum separat humidum à sicco, & remanet siccum solum durum coagulatum. Contrario autem modo, frigidum liquefacit per accidens: per se autem condensat. Ad argumentum, dico, quod calor in aestate, quoniam potest permiscere humidum cum sicco in cerebro, ideo ingrossat, non per se, sed per sufficientem calorem cerebri in aestate. in hyeme autem cerebrum debilitatur in suo calore, ideo non potest permiscere bene humidum cum sicco, & ingrossare. Ad illud de spermate, dico quod semen cum est in suo vase, tunc est globosum & grossum, ut dicit Arist. secundo de generatione animalium cap. secundo: hoc autem est ratione spiritus & partium aerarum & spumosarum, quae sunt in eo; cum autem emissum est, tunc evanescunt partes ille aerae, & sic remanet aqueum fluidum, & subtile: quod est etiam in spuma. spiritus enim qui inclusus est in pellicula ipsius, cum erumpit, cessat spuma: & quod erat spumosum, relinquitur aqueum & fluidum. Sic etiam est in niue. Vnde non est dubium, si sperma aut phlegma nasi maneat in aere frigido tempore hyemis, quin eadem congelentur sicut aqua.

D V B I T A T I O X C V I I .

Alia dubitatio dicit Arist. in tex. 42. quod in omnibus corporibus inest caliditas, in aliquibus autem frigiditas. Gaietanus uidit hunc locum, & dicit, quod intelligitur quod in omni mixto est caliditas refracta: quoniam, quod habeant illam in gradu intensio, est impossibile: destrueret enim alias qualitates, ut frigidum, & humidum; & sic non esset mixtum. Certè quod dicit Gaietanus est verum, sed non ad mentem Aristotelis hoc loco: non enim dicit Aristoteles quod in omnibus sit caliditas, & in omnibus frigiditas: sed dicit in omnibus esse calidum, & in aliquibus frigidum. Alexander autem hunc locum exposuit, quod caliditas est in mixtis, quoniam conuenit eis in via generationis, cum forma substantialis mixti introducatur à calido: generatio enim forma fit à calore, non à frigore: cum uero deficit calor, tunc introducitur frigus, quod causat mortem, & destruit formam. Verum & expositio Alexandri uidetur pati eandem ferè instantiam, quam patitur illa Gaietani: in omni enim mixto fit hoc quod forma introducitur per calidum cum autem cessat forma in materia, tunc tendit mixtum in frigiditatem, & dissolutionem, aut mortem. Aristoteles autem dicit [in aliquibus autem frigus] non dicit in omnibus. Forte euadi potest, quoniam, non omnis corruptio naturalis est per frigidum, sed aliqua per calidum, ut cōbustio. Sed dices, omnis naturalis corruptio fit per putredinem. Dico quod Aristoteles forte sic intelligit, quod in omni mixto generatio fit per calidum. & licet omnis generatio mixti fit per calidum (effectus enim secundum medicos & philosophos fit generatio formæ à calido) aliqua tamen mixta sunt absolute calida, non quod caliditas sit in summo, ut in igne; sed quod est in totali latitudine mixtorū. nam piper multo calidius est quam zingiber, aut cinnamomum. aliqua autem habent illam caliditatem ultra medietatem. alia sub medio; ita quod deficiunt à caliditate, & in plus habent de frigiditate. licet etiam ijs, quae plus habent de frigiditate, forma fit inducta à calido; tamē adhuc aliqua mixta dicuntur calida, & aliqua frigida. & hic est diuersitas opinionum, nam aliqui uolunt omnia mixta distare ab æquali ad pondus per calidum & humidum. aliqui etiam uolunt aliqua distare per frigidum re ipsa, & uerè; ita quod plures in eis sint gradus frigiditatis quam caliditatis. Tamen primi, in quorum numero est Gentilis, uolunt quod omnia distent ab æquali ad pondus per calidum & humidum. Et si inueniantur aliqua mixta frigida, ut opium, & mandragora; hoc intelligunt quoniam minus sunt calida, quam alia mixta calidiora, scilicet non absolute, sed in comparatione. Et sic possem glofare meam expositionem, aut in ordine ad totam speciem; aut comparatiue.

D V B I T A T I O X C V I I I .

Aliud dubium in tex. 42. quoniam Aristoteles dum enumerat passiones sive operationes mixtorum, quae eis conueniunt ratione qualitatum passuarum: enumerat per divisionem, quam facit more contradictionis. dicit enim, aut flexibilia aut non flexibilia.

in quartum Meteor. Arift. 45

bilia. Si haec enumeratio est bona, sequetur, quod omnia in modis certi sunt talia, ita quod istae proprietates possint eis attribui: nam Deus aut flexibilis, aut non flexibilis est. Quare ergo Aristoteles dixit in textu [plurima] & non omnia; cum tamen hec divisione conueniat omni enti, quod est in mundo? Credo ego Aristotelem intellectissime priuatius oppoſita per hanc divisionem, ut aliqua sunt flexibilia, aliqua autem non flexibilia, nata tamen flecti. Deus autem & res incorporeæ non sunt flexibles, quoniam non sunt aptæ natæ suscipere flexionem oportet enim quod sit in eis materia disposita ad receptionem illius passionis. Sed adhuc non uidetur solutio hæc satisfacere, quoniam dicit Aristoteles [plurima] ergo aliqua non sunt talia. Credo, quod hoc dicat propter corpora cœlestia, & ignem, & aquam, quae non sunt flexibilia, nec inflexibilia: nec dura nec mollia. Vel exponatur, plurima, id est, omnia. noluit autem philosophus dicere omnia, forte propter modestiam philosophicam.

D V B I T A T I O X C I X .

Alia dubitatio, in tex. 43. Aristoteles dicit, quæ coagulantur, possunt duobus modis coagulari: uno quia calidum extrahit humidum, & relinquit siccum: secundo frigidum exprimit humidum, & ingrossat, & coagulat: omnis ergo coagulatio humili aut fit à calido, aut à frigido. At in superioribus posuit tres causas, scilicet humorem coagulari tripliciter, aut à calido, aut à frigido, aut à siccō. Dico quod siccum est causa proxima & immediata, sed calidum & frigidum, sunt causæ remotæ, & primariæ mouentes. loquitur autem hic de causis remotis, & non propinquis.

D V B I T A T I O C .

Aliud dubium. Dicit, quod coagulatio fit per expressionem humili, si fit à frigido, aut per extractionem humili, si fit à calido, atque ita uidetur proxima causa coagulationis esse uel extractio, uel expressio humoris, siue fiat à calido siue à frigido. Sed contra secundo post, unus effectus non potest fieri à duabus causis proximis, sed bene ab una remota; & alia propinquæ, & immediata. Respondebit fortasse aliquis, & si coagulatio altera ab altera differt quod alia fit à calore, alia à frigore, has tamen esse remotas causas, calorem & frigus, proximam uero causam esse unam, scilicet humili extractionem, siue à calido fiat seu à frigido. Sed hæc responsio non est bona, nam quando fit coagulatio à calido, tunc extrahitur humidum, & relinquitur siccum in eo mixto: extrahuntur enim partes humiliæ, & relinquuntur siccæ; sed cum fit coagulatio à frigido, tunc exprimitur quidem partes humiliæ, sed ex non semper corrumpuntur. non enim credo, quod corrumpatur humiditas, & inducatur siccitas; immo cū id coagulatum iterum liquefit, uidemus effluere humiditatem, quæ prius affuit: quod enim generetur noua humiditas, hoc ego non credo. at per calidum, partes humiliæ realiter extrahuntur, resoluuntur, & corrumpuntur, ut patet sensu. Quare ego aliter responderem, quod scilicet exsiccatio facta à frigido, equiuocè dicitur cū illa, quæ fit à calore: quæ fit à calido, uera est exsiccatio: quæ autem fit à frigido, æquiuoce est, & ad similitudinem alterius. dicitur enim solum hac ratione, quoniam etiam partes redunt unitæ & constantes, sicut in uera exsiccatione, ita quod non fluant, sed fiant restrictæ, constantes, & solidæ. Congelatio ergo dicitur æquiuoce de ea, quæ fit à calido, & de ea quæ fit à frigido: sunt enim alterius & alterius rationis. Et ideo quia effectus æquiuocus est, id est ipsa congelatio; aliam & aliam causam habet, cum ad effectus æquiuocos una & eadem causa non conueniat.

D V B I T A T I O C I .

Dicit ibidem Aristoteles, quod ea, quae sunt coagulata per absentiam humili, liquefuit per præsentiam humili. Hoc uidetur contra ea quæ prius dixit Aristoteles ipse. dixit enim superius, quod ea quæ liquefunt à frigido, coagulantur à calido, & quæ coagu-

Petri Pomponatii dubitationes

Iantur à calido, liquefiant a frigido. ergo uidetur quod caliditas & frigiditas sint causæ coagulationis, non humiditas & siccitas. Dico, quod Aristoteles bene dixit: nam calidus non est per se coagulare, sed rarefacere: neque enim calidum condensat per se: sed, si coagulatur, hoc est per accidens, extrahendo humidum. ideo abstinentia humidi est causa coagulationis, & potentia eius est liquefactionis causa: contrariæ sunt causæ: hoc autem est uerum si suucausæ per se, immediatae, & proximæ causæ, aliter non oportet hoc esse. Cum autem superius dixit, ea quæ coagulantur à calido, liquefieri à frigido: ergo quæ congelantur à frigido, liquefiant a calido dico. quod ualeat consequentia, si arguitur conditionaliter, ut Aristoteles loquitur, & arguit: id est frigidum inducit unum effectum per se & immediate; ergo calidum inducit suum contrarium immediate, ut est causa proxima. si autem frigidum aliquando indaceret effectum per accidens, ut causa remota; tunc non ualeret, ergo calidum inducit suum contrarium. Et per hoc fit responsum.

D V B I T A T I O C II.

Dicit item Aristoteles quod frigidum causat coagulationem, quoniam calido expulso humidum constringitur aut exprimitur. cum autem frigidum sit causa coagulationis, calidum erit causa liquefactionis, summum autem omnium frigidorum est aqua. secundo de generatione tex. 49. ergo aqua est causa coagulationis. In oppositum est sensus & experientia, quoniam aqua humectat, & reddit corpora possibilia, et fluxibilia. quod si quis dicat hoc non fieri, nisi mediante humiditate: Contra, quia aqua est primum frigidorum: ergo deberet esse maxime congelata. At congelatio aquæ accedit præter naturam. De hac quæstione loquitur Albertus, & Marsilius secundo de generatione articulo 6. facit propriam quæstionem. dicit autem Albertus in cap. de grandine, quod, quoniam, non aqua pura, sed multus est aer inclusus in grandine, (quod apparet ex albedine) ideo gran do est mixtum: aqua enim concussa, ut patet experientia, facit spumam, & fit alba propter aerē inclusum, sic etiam nix. Similiter in illis etiā est terra, ut patet cū dissoluuntur: manēt n. terrestres partes in fundo: unde & nix impinguat terrā, & ēt calefacit quia ī ea sunt partes, quæ ignea & calidae sunt. Sic etiā glacies mixta est: aqua enim simplex non posset conge lati. frigidum ergo potest materiam mixtam congelare, sed non simplicem. Sed est dubium, secundum hanc opinionem. An stante illa mixtione cum alijs elementis, possit manere in aqua summa frigiditas? Namque ut aqua congeletur, necessariū est ut inducatur frigiditas summa, quæ potest introduci, ita ut etiam exeat latitudinem aquæ, & corrumpatur eius forma, & fiat ex ea glacies. quomodo enim potest induci forma glaciei, nisi aqua fiat sum me frigida? Quod si aqua in se est summe frigida, mixta ergo cum alijs substantijs quomodo manebit summe frigida, cum debeat congelari illud mixtum per frigiditatem agentem in illam massam communem ex aqua composita & ex alijs elementis? certe aqua, quæ in illa massa contenta est, aut deducetur per frigiditatem aduenientem, & congelantem ad gradum frigiditatis, ultra summum? aut non fiet congelatio. frigidus enim primo & per se est infrigidare; at si congelat & constringit humidum, hoc non facit nisi mediante infrigidatione. Quod si dixeris tunc aquam non esse summè frigidam, sed ob admixtionem aliorum elementorum remitti aliquid in ea. Tunc sequetur, quod erit remissa frigida. at con gelatio fit à summa frigiditate non à remissa. Sed respondebit fortasse aliquis Albertum & Marsilium intelligere cum dicunt aquam puram non congelari, de puritate subiecti, quod scilicet aqua quæ congelatur, pura non sit quo ad subiectum, sed solum quo ad qualitates. quod patet experientia, cum glacie dissoluta semper remaneat aliquid terrestre in fundo. Contra, quia cum impura est secundum substantiam, eff etiam impura secundum qualitates cum elementa mixta afferant etiam suas qualitates, & ita fateri oportebit solum aquam impuram secundum substantiam & secundum qualitates posse congelari. Re linquo hic opinionem Auerr. de qua in 2. de gñatione de intensione & remissione formarum diximus. opinio est communis quod aqua congelata sit impura, & mixta cum alijs elementis

in quartum Meteor. Arist. 46

elementis, & refracta in frigiditate. Dico tamen me non invenisse apud Aristotelē quod a qua pura non congeletur: & quod requirat mixtionem alterius elementi. forte quidē facilius ea congelatur quæ permixta est alijs elementis: non tamen, ut dixi, uidi apud Aristotelem aquam puram non posse congelari. Et quando instas argumento illo, quoniam si esset pura & in summo gradu, adueniente frigido, ultra gradum summum deducetur, aut non congelabitur. dico, quod uoco aquam puram, quæ est in summo frigiditatis, id est quod non est extra dispositionem conuenientem sibi positam; ut scilicet aqua simplex, in gradu frigiditatis, ut octo, non sit congelabilis aqua, tamen pura id est simplex, quæ tamen est extra dispositionem sibi naturalem & conuenientem: ut, exempli causa, aqua frigida ut sex, potest congelari, quamvis non ut octo: & sic frigiditati adhuc locus patebit congelationis & infrigidationis, qua agat in aquam, duo scilicet gradus caliditatis, qui resistent. Sed argues, si frigus agit in aquā frigidam ut sex, expellit gradus duos caliditatis, & inducat gradum ut octo frigiditatis in aquam; & tamen aqua adhuc non erit congelata: patet, quia aqua maximè habet naturam suam cum est simplex, & in summo gradu: summus autem gradus est ut octo: manet ergo aqua, nec erit adhuc glacies cum peruererit ad gradum ut octo: cum aqua sit summum frigidorum: aliter enim sequeretur, quod cum aqua esset in sua naturali dispositione, tunc esset congelata, quod est falsum: ergo adhuc stat argumentum. Dico quod Aristoteles non dicit, quod congelatio aquæ fiat per inductionem ulterioris gradus, sed per expulsionem caliditatis. non enim dicit quod introducantur ulteriores gradus frigiditatis, sed solum quod exprimitur calidum, quod erat in ea. Et si arguis, expulsion caliditatis per accidens causa est congelationis, quoniam sequitur expulsio calidi ad introductionem frigidi. Dico, quod congelatio bene fit per expulsionem calidi; tamen multa requiruntur. nam si calidum debet expelli ex aqua, tunc necessere est ut calidum sit in aqua. si est in aqua, ergo necessario præter naturaliter est disposita. ideo aqua naturaliter disposita & simplex coagulari non potest. fit autem congelatio, quoniam calidum prius rarefecit aquam, & aperuit poros in ea. obuians autem frigidum aquæ sic rarefactæ, subingreditur eam, & melius agit in eam, & fortius stringit & cōpingit eam, quo pacto homo supercalefactus in paucō frigore incurrit in pleuritidem, inquam si supercalefactus non fuisset, in magno etiam frigore, non incurrisset: frigus enim in rarefactum corpus melius potest ingredi. sic etiam in nostro proposito, frigus potest congelare aquam frigidam, ut sex, non tamen ut octo: melius enim agere potest in eam, quæ rarius est quam in eam, quæ est densior. Quare ego expono aquam puram, id est non præter naturaliter dispositam: non autem puram, id est cui nulla alia substantia admixta sit.

D V B I T A T I O C III.

IN eodem tetu 43. dicit Aristoteles. quod illa sunt incoagulabilia, quæ non habent humiditatem aquosam, sed plus calidi habent & terræ. hoc uidetur falsum, quoniam mel potest liquefieri à calido. ergo coagulatur à frigido. quod mel liqueficit à calido patet experientia. sed etiam patet ratione: nam quod transmutatur, à contrario transmutatur: ergo si mel liquefit à calido, ingrossatur à frigido, cum causæ contrariæ causet contrarios effectus. Ad hoc dico, quod hic sumitur coagulatio largius, quam prius: pro quodam scilicet inspissatione, habent enim, ut ego puto, liquefactio & coagulatio quoddam medium quod neque est uera coagulatio, neque uera liquefactio, sed utranque participat. sumitur ergo coagulatio aut pro medio, aut pro extremo. sumpta pro medio & non uerè pro extremo, inspissatio quædam est, & non uera coagulatio; sicut est in melle.

D V B I T A T I O C IIII.

VIdetur, quod mel ingrossatur à calido. immo etiam liqueficit & coagulatur secundū diuersos modos, ut sciunt iij, qui mel tractant. Ego dicerem, quod mel quando H 4 indurescit

Petri Pomponatii dubitationes

indurescit à calido, tunc uariat speciem, & non est amplius mel; sed res facta ex melle. Ne que aliter scirem respondere.

D V B I T A T I O C IIII.

Dicit ibidem Aristoteles, quod mustū non potest coagulari. Cōtra uidetur quod posuit coagulari tam à calido quam à frigido. patet ex tex. comm. 41. ubi de urina & ui-
no loquitur Aristoteles. Dico quod secundum Aristotelem, uinū bene coagulatur, sed non mustum, quoniam adhuc multum habet de calido, nec est adhuc uinum. Sed dices, quod cōgelatur à calido, liquefit à frigido, ut superius dixit philosophus, ubi dicit quod aliquod mustū coagulatur. Secundo ubi exprimitur humidū, ibi fit coagulatio, sed in musto aliquan-
do exprimitur humidū: ergo &c. Ad hoc quicquid dicat Aristoteles, mihi uidetur aliquod mustū coagulari à calido: infra enim dicit, quod sunt aliqua uina Archadica, quae coagulan-
tur à calido, sed non alia. ideo intelligitur, ut in pluribus. Ad rationē, exprimitur humidū,
& sic fit coagulatio: dico quod est fallacia consequentis, nam plus requiritur: oportet enim quod expressio humili sit multa & absoluta, ita quod possit fieri coagulatio. Et ultra hoc,
quod nihil remaneat humili liquidi in illo, quod sit aquēum. ideo oportet quod illa ex-
pressio sit ualde magna: nec parua alioqui expressio sufficit.

D V B I T A T I O C V.

Alia dubitatio quoniā dicit de oleo, argēto uiuo, & glutine, quod licet habeant aquo-
sam humiditatem, tamen habent etiam aerem admixtum: ideo non coagulantur. Lo-
cus iste duplenter exponitur. primo id est quaeunque aliquid aquæ habent, sed plus ae-
ris, ut argentum uiuum, oleum, & glutea. alia est expositio Alexandri, quod illa duo
uerba, sicut oleum, & argentum uiuum, habent plus aeris quam aquæ, non referant ad glu-
ten, & picem, quæ sunt uiscosa. Vera sit melior, ego ignoro. Nota tamen hic, quod uidetur
ponere Aristoteles argētum uiuum calidū & humidū, quoniam dicit esse magis aëreum,
medici autem uariant: alij enim dicunt esse calidū, alij frigidū. Auicenna uult, quod
sit frigidū & humidū: & in libro qui uocatur Circa instans, ponitur etiam frigidū &
humidū in quarto gradu. Alij autem ponunt ipsum calidū. Aristoteles uidetur ponere
calidū, de quo reperietis multa apud Corcili. differentia 151. facit enim argentum uiuum
corrosionem, & cōburit interiora, ideo administratur in morbo Gallico ut corrōdat; sicut
dicunt aliqui. Alij autem uolunt quod sit frigidū & repercutit ma-
teriam. Secundo etiam quia inducit paralysim, & alia accidentia, quæ arguant in eo frigi-
ditatem. Dicit autem Aristoteles, quod hæc tria: quod dicitur sunt, non sunt coagulabilia. Si
quæras rationem huius. Dico tenendo, ut dictum est, omnia tria sint aerea, & in eis domi-
netur aer, quod ea quæ uiscosa sunt, non possunt facile coagulari, quoniam non potest in
eis fieri bona euaporatio humili, & aer non potest exsiccari: & quia plus est de aere quam
de aqua, ideo non potest inspissari tale corpus. Si aarem tenemus quod illa tria sint diuer-
sarum naturarum; tunc in duobus ratio est, quia inest ipse aer; in tertio autem propter ui-
scositasem.

D V B I T A T I O C VI.

Aliud dubium circa eundem tex. in secundo de partibus animalium, cap. quinto dicit
Aristoteles de seuo quod est coagulabile, & frangit. Tamen in seuo est plūs de aereo
quam aqueo. Quid ergo dicendum? Aristoteles loco citato dicit hoc habere parum de aqua
& multum de terra: cuius signū est quod animalia cornuta quæ sunt ualde terrestria, habet
seum: & coagulatur seum ratione terræ. Tamē quod seuū sit ualde aereū ut nos dicimus,
patet, quoniam est uistibile, ut in candelis uidere est: & tamen coagulatur, ita ut sit frangibile.
Quid ergo hic dicendum? Aristoteles eo in loco dicit hoc esse ex terrestreitate. Mihi ta-
men

in quartum Meteor. Arist.

47

mē uidet esse de seuo ut etiam de oleo, & lardo, quod scilicet habeat naturam, quæ facile
aduritur. Quod si dicas & ligna quoque facile aduri, esse tamen terrestria magis quam ae-
rea, fateor, sed ligna licet sint ustibilia, tamen non semper fusilia. Vos considerate.

D V B I T A T I O C VII.

Aristoteles non uidetur in tex. 43. bene tractasse de congelabili: nam 6. Top. & se-
cundo post. contrariorum contrariae sunt causæ: congelatio autem & incongelatio
sunt contraria. Et congelatio fit per extinctionem humidū, aut à frigido exprimente cali-
dum. propositio hæc disiunctiva est & affirmativa quæ habet oppositam copulatiuam cōpo-
sitam ex partibus cōtradictoribus. cur ergo, agens de eo quod coagulari non potest, utran-
que partem copulatiue non posuit, & dixit cum non exprimitur humidū à calido, nec ca-
lidū à frigido illud esse incoagulabile? certe si duæ alternatiuæ sunt pro causa congelatio-
nis, etiam duæ debebant ponи esse causæ incoagulationis. tamen Aristoteles solū unam
ponit. Ad hoc argumentum dico quod procedit secundum regulas Aristotelis. ergo erra-
uit. nego. quia præsupposuit hanc diffinitionem tanquam notam. ponens enim congelatio-
nem fieri aut à calido extrahente humidū, aut frigido exprimente calidū, uoluit horum
contraria de incongelatione subintelligi.

D V B I T A T I O C VIII.

Alia dubitatio. An quod Aristoteles uidetur ibidem dicere, uerum sit, scilicet quod li-
quefieri & madefieri habeant diuersas dispositiones & contrarias: quod liquefactio
fiat ex apertione pororū, madefactio autē in eo quod nō habet poros perpetuos, multos &
simil extrahentes: & madefieri fiat ex distantia pororum, liquefieri autem ex propinquitate
pororum. Contra enim uidemus terram madefieri & liquefieri. Ad hoc responderi po-
test, quod id quod Aristoteles dixit de terra, non intelligitur de una terra: sed una pars ter-
ræ liquefit, alia madeficit: una habet poros distantes, alia propinquos. Sed hæc solutio non
placet, quoniam eadem pars terræ potest madefieri & etiam liquefieri, ut patet experien-
tia. Quare dico aliter, quod terra habet poros distantes, idēo madeficit in principio, & postea
cum diu manserit in aqua, tunc pori sunt plures, & liqueficit.

D V B I T A T I O C IX.

Dixit philosophus, in aliquibus non posse fieri impressionem, sicut est in lateribus & la-
pidibus. postea tamen dicit quod aliqua sunt bene impressibilia sicut lapis & lignum.
Præterea, dicit Aristoteles quod lignum est difficulter impressibile, quis uidit unquam im-
pressionem fieri in ligno? Dico quod lignum esse impressibile, forte intelligitur de lignis ui-
ridibus, & cum sunt adhuc mollia. cum uero exaruerint, tunc sunt nimis sicca, & non susci-
piunt impressionem. de latere autem & lapide non est contradic̄to nā differt later & lapis,
quoniam later non est impressibilis: sed forte aliqui lapides ut tophi, quorum species ge-
nerantur quædam in quibusdam montibus. Mantuae sunt impressibiles. sufficiat autem ad-
uertisse hoc.

D V B I T A T I O C X.

Videntur, quod Aristoteles sibi contradicat, nam prius dixit aquam non esse capibi-
le, quoniam non habet superficiem in se cedentem, & in tex. 47. diuisionem capibi-
lium ponens dicit, quod omnia capibilia aut sunt ductilia aut non ductilia: ductilia sunt ut
cera & lutum: non ductilia ut lana & aqua. Insto, diuīsum prædicatur de omnibus membris
diuidentibus, & de ijs quæ continentur sub illis membris: ergo aqua erit capibilis. Ad hoc
forte dicendum, texum corruptum esse. Sed hoc nullus expositorum aduertit. ideo aliter
dica-

Petri Pomponatii dubitationes

dicamus quod bene exemplum est de ea re, quae non est ductibilis, quoniam aqua non est ductibilis: sed non est exemplum de re capibili: ita ut sit exemplum unius & non alterius. neque enim oportet ut exempla conueniant & quadrent ex omni parte.

D V B I T A T I O C X I .

Alia dubitatio, quoniam dicit Aristoteles in tex. 47. loquens de ustibilia, quod ustibilia sunt, quae habent poros susceptivos ignis secundum longum. Quare non dixit etiam secundum latum simul, cum multa urantur quae etiam secundum latum poros habent, ut patet in nodis, & huiusmodi? Dicerem, non tamen afferendo, quod si pori essent protensi secundum longum, & secundum latum in corpore ustili; id melius combureret: sed dicit Aristoteles tantum secundum longitudinem, quoniam ustibilia pro maiori parte habent poros secundum longitudinem, ut ligna; non quod non possint ustibilia habere poros secundum latum, & quod sic melius non comburantur, si utrosque haberent: uel si secundum latum tantum habeant, quod non comburant. Sed quereret quis, quare sit, quod ligna non habeant poros secundum latum, nec secundum latum & longum, sed solum secundum longitudinem? Dicerem, quod natura ita fecit, ut ligna, siue arbores essent fortiores: illi enim pori longitudinales tenent eas unitas, qui aliter si essent secundum longum & latum, facile confringerentur arbores à uentis. Sed quereres, quare in aliquibus dedit poros secundum longitudinem in una parte, ut in cannis: in alia, autem secundum latitudinem & in cannis enim inter nodos pori uadunt secundum longitudinem, in nodis autem ipsi secundum latitudinem. Credo ego nodos fuisse necessarios in re tam fragili, qualis est canna, quoniam aliter sustineri non posset. Vel etiam natura dedit cannæ nodos ne omnia in ea essent æqualia.

D V B I T A T I O C X I I .

VIdetur ibidem Aristoteles Democritare, nam incidit in questionem Democriti, qui uoluit quod actio fiat per poros. Respondeo nolle Aristotelem actionem fieri principaliter per poros; sed quod per poros fiat melior applicatio rei combustibilis: quoniam corpuscula ignea melius intrat, & melius applicantur: sunt autem ea corpuscula magnam quantitatem habentia, non indiuisibilia, ut dixit Democritus: ideo non fit combustio principaliter per poros, sed ipsi adiuuant, quia fit melior applicatio agentis ad ipsum paustum. Sæpe enim uidemus corpora frigidæ complexionis sustinere maiora frigora; & non ægrotare, ut corpora calidæ complexionis, nempe quod eorum corpora calida sunt raro quæ frigida. Vnde si paruo tempore manserint in frigoribus, laeduntur, quia propter amplitudinem pororum potuit frigus ingredi. in frigidis uero corporibus, præterea quod pori stricti sunt, ideo frigus ingredi non potest; sed minus agit.

D V B I T A T I O C X I I I .

Ibidem dicit Aristoteles, quod exhalatio est extractio siccii & humidii aeris. oritur ergo dubitatio, primo aer non est siccus. secundo non potest esse siccus & humidus, cum sint contraria: & etiam quia siccitas repugnat aeri, secundo de generatione. Forte philosophus uoluit dicere siccii & humidii aeris, id est siccæ rei quae eleuatur, cum qua tamen simul eleuatur etiam humidus aer: ita quod sunt duo eleuata pars siccæ ignea, & pars humida aerea, quæ tamen prius non fuerunt eadem materia: sed in eodem sunt cōposito siue eadē massa simul. Sed hæc gloso non conuenit literæ, quoniam dicitur siccii & humidii aeris. Dico quod ibi debet fieri respiratio & interpunctus, siccii. id est alicuius corporis quod est siccum, & humidum aeris. ita ut duo resoluatur, scilicet res humida, & res siccæ ab uno mixto. uel aeris, id est quæ eleuatur res quædam partim siccæ partim humida, quæ est aer, non tam uerè, quoniam ex duobus est cōpositus, sed assimilatur aeri, quoniam inuisibiliter exhalatio fit, sicut etiā aer inuisibilis est.

D V B I -

in quartum Meteor. Arist. 48

D V B I T A T I O C X I I I .

Alia est dubitatio. Nam Aristoteles hic dicit quod spiritus, id est uenti mouentur secū dum longitudinem. In superioribus autem libris & in secundo huius dixit, quod mouentur secundum latitudinem, quoniam in transuersum. Credo ego Aristotelem intellectissime secundum longitudinem id est in protensum: & quod dicat secundum longitudinem in ordine ad cœlum, non in ordine ad nos.

D V B I T A T I O C X V .

Dicit Aristoteles in tex. 47. quod uapor fit à calido uistuo in aerem & spiritum, segregazione illius quod fit ex humido madefactio. hoc uidetur esse contra ea, quæ dixit in secundo huius, ubi dixit quod uentus generatur ex materia non aquosa; quoniam illa est materia niuis & glaciei, & huiusmodi; sed fit ex materia sicca, & frigida, non humida. Nescio ego quid respondeam ad hoc. Vos considerate.

D V B I T A T I O C X VI .

Alia dubitatio ibidem. dicunt isti cum de fuligine agitur, quam uocem Leonicus graveolentiam uertit, quod exhalatio pinguium dicitur fuligo, unctuosorum autem nidor. Sed quæ sit differentia inter pingui, & unctuosum, ego ignoro. Credo, quod unctuosum sit communius pingui, et eum intelligere pro pingui, quod est ut laridum: unctuosum autem, ut axungia. Sed uellem etiam scire an uapor & odor lignorum exsiccati possit: exhalatio enim lignorum uocatur fumus, pinguium autem fuligo, unctuosorum uero nidor: & præterea uellem scire quare illa pingua non euaporant, nisi ponantur in igne. Vos uideatis. & sufficiat commoneri.

D V B I T A T I O C X V I I .

VIdetur Arist. sibi contradicere, nam supra dixerat oleum ingrossari à calido & frigido: hic uero dicit contrarium, scilicet quod oleum non ingrossatur à calido & frigido. Ego dicerem quod oleum non ingrossatur, scilicet in elixatione: in elixatione non remouetur humidum, & remanet siccum; hoc autem non potest fieri in oleo, cum eius humidum à siccо remoueri non possit propter uiscositatem. Sed contra, ingrossatio fit, cum segregatur subtile, & remanet grossum; in oleo autem est subtile & grossum: quare ergo non debet subtile posse resolui, & remanere grossum, ut etiam in alijs rebus? Dico quod ingrossatio propriè fit per resolutionem humidii aquei: sed humidum aqueum non est in oleo: eius enim humiditas aquæ non est, sed aerea.

D V B I T A T I O C X V I I I .

Alia dubitatio. Dicit Aristoteles, quod oleum & uinum dulce non congelantur à frigido. Contra, in magno frigore uidemus uina cōgelari. Item supra dixerat quod id quod liquefit à calido, congelatur à frigido, at oleum liquefit à calido. Dico quod forte Aristoteles sic intelligit, quod liquefit à calido congelatur à frigido: id est uel uerè congelatur, uel congelatur, id est ingrossatur. Et sic uinum dulce & oleum ingrossantur à frigido, non autem congelantur.

D V B I T A T I O C X I X .

Aristoteles prius dixit de ustibili, quod habet poros, dum ipsum diffinit; hic uero dicit, quod est id quod uertitur in cinerem. Vnius rei una tantum diffinitio ergo &c. Dico.

Petri Pomponatii dubitationes

Dico quod una res potest habere uarias descriptiones, non autem diffinitiones. Vnde descriprio quae datur hic, datur per effectum; quoniam ex ustione fiunt cineres: prior autem fuit per causam, pori enim sunt ut causa.

D V B I T A T I O C X X .

Arיסטoteles dicit, quod ea quae euaporant, sunt aquæ. postea dicit quod ligna sunt aerea & terrea: ergo uidetur, quod non euaporent, quod est falsum. euaporat enim saltem secundum partes. Ad hoc responderet Alexander, quod ligna aliqua sunt uiridia, & illa euaporant; alia sicca, & illa non euaporant. Sed contradic̄tio est, quoniam ligna licet sint humida, non tamen fluidea. Ego non intelligo hunc locum. forte intelligit Alexander, cum germinant, id est cum emittunt herbam. Item dubitatio est, quia fluidea non euaporantia sunt aquæ & aeris, ut oleum: & tamen ratione aquæ euaporare deberent. Dicitur communiter, & bene; quod non euaporant ratione uiscositatis retinentis unum cū alio.

D V B I T A T I O C X X I .

Aliud dubium, quomodo aliquod mixtum à prædominio potest esse terreum, & idē fluuidum, ut Aristoteles ponere uidetur? nam non uidetur, quod ea corpora à prædominio terrea sint fluidea. Forte dici potest, quod respectu diuersarum partium, quarum aliæ terrea, aliæ aquæ sunt, aliquid idem potest dici & terreum & fluuidum. mel enim comparatum alijs fluuidis dicit terreum, quia habet magis de terra, idem tamen est etiam fluuidum, comparatione aliorum corporum, quæ coagulantur, & non sunt tam fluidea.

D V B I T A T I O C X X I I .

Dicit in tex. 48. Aristoteles, quod ea quæ coagulantur à calido, sunt communia aquæ & terræ. nam humidum exhalat, & siccum remanet. Sed quid dices de glacie, quæ ex aqua à frigido coalescit? certe glacies communis est aquæ & terræ: cum, ut supra dictū est, sola aqua non congeletur. Præterea quæ nam ratio est, ut quæ coagulantur à calido, sint communia aquæ & terræ, & non ea quæ à frigido?

D V B I T A T I O C X X I I I .

VIdetur Aristoteles sibi contradicere, nam in tex. 49. dicit, quod ingrossatur à frigido est terreum. contra. quod ingrossatur à frigido, est terreum; oleum ingrossatur à frigido: ergo est terreum. Soluitur, quando dicit Aristoteles, ea quæ ingrossantur à frigido, esse terrea, intelligitur cum à frigido solo ingrossantur: cum autem à calido & frigido, tūc sunt communia duorum, ut oleum, ut supradixit etiam Aristoteles.

D V B I T A T I O C IIII .

Aristoteles dixit de ijs, quæ coagulantur à solo frigore, quod sunt terrea: nunc dicit. etiam quæ coagulantur à frigido & à calido, esse communia plurimum: & consequenter etiam dicit, quæ coagulantur à solo calido, esse terrea, ita quod illa non possunt coagulari à frigido. Vnde est, quod ea, quæ coagulantur à frigido, sunt terrea, quæ autem ingrossantur ab utroque, & calido & frigido sint communia plurimum? Huius reddit ratione Gaietanus, sequens Albertum, quod cum sit ingrossatio per calidum, tunc humidum extrahitur, & remanet siccum, quod est terreum. Cum autem sit ingrossatio per frigidum, tunc humidum non extrahitur, sed exprimitur, & remanet siccum. Hæc responsio prima facie uidetur bona. Sed nota quod Aristoteles dixit, quod quæcumque sunt communia aquæ & terræ, coagulantur tam à calido, quam à frigido; hic uero dicit quæcumque coagulantur à calido,

in quartum Meteor. Arist.

49

à calido, illa esse terrea, ut in tex. 48. Et si dicas, cū Aristoteles dicit ea quæ coagulantur à calido, esse terrea, intelligere de calido solo: cū autem in tex. 48. dicit quod à calido; ibi uelle ea esse communia plurimum quæ coagulantur tam à calido, quam à frigido. Contra, nonne prius dixit, quæ coagulantur à calido & frigido, esse communia terræ & aquæ? hic autem dicit quæ coagulantur à calido solo, illa esse terrea. sic contradicunt illi tex. Gaietanus dicit, si congelatur à calido, tunc humidum est expulsum: ergo remanet siccum: ergo terra. Sed sic etiam ego dicam, si coagulantur ab utroque: ergo cum humidum erit abstratum, remanebit siccum sine terra. Multa possem dicere: sed mihi non satisfaciunt.

D V B I T A T I O C XXV .

Idetur Aristoteles sibi contradicere, nam in textu 48. dicit, quod ligna non euaporant, at hic in tex. 51. dicit, quod thus euaporat & ligna. Dico, quod bene euaporant, sed non ita ut maior pars eorum conuertatur in uaporem, sicut fit in lixiuio cuius maxima pars euaporat. sed ita aliqua pars euaporat; ut tamen maior pars conuertatur in cinerem. nam si teneatis manum super fumum ligni, manus fit humida & uaporosa.

D V B I T A T I O C XXVI .

Aliud dubium, uidetur Aristoteles sibi contradicere, dicit enim in hoc eodem textu 52. quod sanguis est terreus, quoniam coagulatur à frigido, liquefit autem à calido. Sed prius in tex. 50. dicit, quod ea quæ consistunt à frigido, sunt aquæ, ut nix, grando, pruina. Secundo dicit etiā, quod sanguis liquefit à frigido, ex eo quod uult, ut sit terreus. Opus positum uidetur, mulieres enim dum faciunt farcimen, sanguinem extractum & coagulatum liquefaciunt igne. Vnde consequentia Aristotelis est bona, sed antecedēs uidetur falsum. Tertio dicit philosophus, quod sanguis & genitura est terrea, quoniam ingrossatur à frigido. Oppositum dicit idem philosophus secundo de generatione animalium cap. 2. q̄ scilicet, semen non potest coagulari frigore, sed est ut oleum, aereum: ac enim coagulari non potest. Vnde appetit error eorum qui dicunt semen elephantis indurescere, ut eletrum. Ad argumenta, ad primum & secundum, ego nescio respondere, nisi quod Aristoteles fuit homo, & potuit errare. Ad tertium de semine, si res intelligitur, ut uerba sonant, ne cessario est contradic̄tio. Dico tamen, quod semen, ut supra dictum est, cum exit ē uirga, est crassum, globosum, plenum spiritibus, ualde aereum: sed cum aliquo tempore ita permāserint, tunc exhalant spiritus & partes aerae, & relinquuntur partes aquæ, & totum relinquitur magis humidum: cum tamen ampliore moram contrahit in loco frigido, illa pars aquæ congelascit. Sed ad illud de sanguine occurrit dicendum, quod textus Aristotelis de sanguine habente fibras, non dicit quod congelatur; Theodorus enim legit, inspissatur, uel ingrossatur, sic etiam Alcyonius; ut enim dicit Theodorus inspissatur per educationem partis spuma, quæ fuit; & remanet non spuma, sed terrestris. nam cū exit uenas, tunc resolutis partibus subtilibus remanent solum grossæ. Vel dicatis, quod illi per inspissationem intelligunt coagulationem.

D V B I T A T I O C XXVII .

Alia dubitatio est, circa eundem tex. 52. nam Aristoteles posuit unā regulam à principio huius cap. quod omnia corpora, aut sunt aquæ, aut terrea à prædominio: si aquæ, sunt frigida, nisi passa sint ab aliena caliditate; si terrea, pro maiori parte sunt calida. Dubium est ergo, quoniam dicit terrea ut in pluribus esse calida, aquæ autē frigida. Quomodo enim hoc est intelligendum. Nam aut intelligit quod utraque seorsum, & terrea, & aquæ passa sint ab aliena caliditate: aut quod neutrum eorum: aut quod alterum sit passum, & alterum nō. Si dicas, quod ambo sunt passa, sequetur quod ambo sint calida. Si autem neutrum sit passum: ergo ambo erunt frigida. Si autem alterum eorum est passum, aut aquæ erit passum, & terrea non; & hoc est falsum, quoniam aqua calefacta sic erit passa à calore, & ideo erit calida, & non frigida; & Aristoteles dat exemplum de lixiuio & aqua feruenti. Est etiam immediate contra Aristotelem, qui uult illa esse frigida, quæ sunt aquæ. Si autem dicas quod terream est passum, & aquæ non; tunc sermo est sophisticus. Sumit n. unum uno modo, aliud alio modo. Ad hoc ego dicere, ut sumi potest ex fine huius cap. quod intelligi debet, quod ambo sunt passa ab aliena caliditate, ut in mixto: nā terrea

terrea ingredientia mixtum patiuntur à calido, quoniam calidum agit in illa, & introducit formam substantialem mixti, & sine isto forma substantialis introduci nō potest, sic etiam humida à caliditate. tamen aqua sunt magis frigida quam terrea : & ratio est, quoniam aqua per duas qualitates magis resistunt calido, quam terrea, primo quia aqua sunt frigida, ut dicit philosophus, secundo quoniam omnia humida magis resistunt caliditati quam frigida: siccitas enim est lima caloris. Præter hoc etiam est alia ratio; quoniam terreum ratione materiae magis est retentuum caliditatis quam aqueum; quoniam aqua ferventissima non tamdiu retinet caliditatem quandiu cineres. et hæc est ratio, quod aqua magis accedunt ad frigiditatem, quam terrea. hæc autem naturalia, licet sint in pluribus, non tamen semper sunt uera. nam urina, lixiuum, & huiusmodi, licet sint aqua, sunt tamen calida. & 10 ideo intelligendum hoc, ut in pluribus.

D V B I T A T I O C X X V I I I .

Alia est dubitatio, & ultima circa tex. 54. quoniam non uidetur esse uerum quod dicit philosophus, q[uod] operatio manus sit notior operatione ignis. multa enim sunt membra intrinseca, quorum operationes paucis & nemini sunt notæ: operationem autem ignis nemo negare potest. Vnde si comparemus omnia organica membra ad similaria, tūc dicta Aristotelis uidentur uera. sed si comparentur elementis, nō uidetur stare. Gaietanus respondet, quod non est credendum, quod operatio manus sit notior operatione ignis, cū calefactio sit ualde notior operatione carnis: cum etiam sensibilia propria minus nos decipiant, quam communia: sed dictum Aristotelis intelligendum est quo ad naturam: operationem enim manus & carnis est notior quo ad naturam: omne enim perfectum ordine naturæ est notius imperfecto: tamen quo ad nos, aliter est. argumētum ergo procedit quo ad nos, & bene concludit: Aristoteles autem intelligit quo ad naturam. Hanc solutionē uide tur innuere philosophus in textu, cū dicit, quod ignis naturaliter est minus notus quo ad suam operationem, quam carnis operatio. Tamen non uidetur uera. primo si esset uerum, quod intelligitur de notis naturæ & nobis, quod scilicet organicorum operationes sunt notiores naturæ, simplicium autem nobis, Aristoteles non locutus fuisset dubitatue (dicit enim fortassis,) sed absolute protulisset, ut Gaietanus. Secundo non possunt falli uari dicta Gaietani, cum dictis Aristotelis: dicit enim Philosophus, quod minus decipiuntur: decipi autem & non decipi referuntur ad cognitionem nostram, non ad cognitionem naturæ: natura enim non decipitur, cum dirigatur ab intelligentia non errante. ideo Aristoteles necessario intelligit de cognitione quo ad nos. Dicetis forte, quod non intelligit, quod operatio manus sit magis nota quam ignis, quem uidemus hic comburere: sed quod est notior quam operatio ignis in composito & in mixto, ignis enim operatio in mixto non bene appetit. unde qualitates in mixto sunt refractæ, & etiam formæ substanciales secundum Auerroem, quamvis dictum Auerrois sit falsum, ut ostendimus in tertio coeli. Sed hæc responsio non ualeat. supponit enim unum quod forte est falsum: Nam Galenus dicit quod Aristoteles uult elementa non manere formaliter in mixto, immo & de operatione est falsum. secundo hoc est satis notum per se, quod simplex elementum sit notius extra mixtum, quam in mixto: ideo non oportebat Aristotelem hoc ponere. Amplius dicit quod substantia ignis est magis materialis: quod autem est magis materia, est prius ipsa materia: quod est prius ipsa materia, est minus notum; elementa autem sunt materia proxima: ergo non minus nota: nam elementa immediate resoluuntur in materiam proximam. Ideo hæc responsio non est uera, nec etiam ad mentem philosophi. Dicit enim philosophus quod homogenea ista, ut metallica, sunt minus nota quam organica: nō quia sint in composito, uel extra compositum; sed quia minus habent de forma & plus de materia: uiciniora enim sunt materiae magis quam distantia à forma. Ad dubitationē igitur: primo sciendum, quod dicta Aristotelis non intelliguntur de qualibet operatione ipsius mixti, uel simplicis: nam ex primo de anima operationes communes non ducunt nos in cognitionem perfectam rei; sed in cognitionem indistinctam: oportet enim ad cognitionem perfectam rei & distinctam scire operationes proprias. Sed hic Aristoteles intelligit de operationibus proprijs. Secundo debetis scire, quod magna est differētia inter membra

brum organicum & similare. nam organica prima oblatione cognoscuntur ex operatione & diuersitate suarum partium, quæ talem operationem habent; sicut manus cognoscitur ex quinario numero digitorum, quando per hoc est apta ad trahendum, retinendum & amplectendum: membra autem similaria nullam habent distinctam figuram, & singularem, sed uarias figuras recipiunt: ideo ex figura non possunt cognosci, sicut organica, nec ex eorum operatione. Quo stante, dico, quod membra organica sunt nobis magis manifesta quam non organica: & paruo discursu possumus hoc comprehendere, sed quod sit officium carnis, credo hoc difficillimum cogitatu. Scimus tamē nasum esse ad olfaciendū, oculum ad uidendum: hæc enim habent proprias figuræ, ex quibus cognoscitur eorū utilitas & opinio: sed caro non habet figuram propriam, sed est receptu[m] multarum figurarū: sic etiam de auro, & plumbo, & magis etiam de elementis. Vnde, cū arguis, cognosco ignem comburere, uerum est quod cognoscimus ignem comburere; non tamen cognoscimus ex hoc comburere esse propriam operationem ipsius ignis, & an omne comburens & calefaciens sit ignis, ut aqua feruens, & later ignitus. Sic etiam de frigidis est dicendum. nam aqua est frigida, & frigefacit: non tamen sequitur quod omnia frigefacientia sint aqua: immo opium & papauer plus infrigidant quam aqua; tamen non sunt aqua. difficile enim ualde est cognoscere propriam operationem ipsius ignis. Dicit Aristoteles quod pisces, qui uocatur stella, plus adurit cum aliiquid tangit, quam ignis: tamen uidetur uerisimile pescem stellam esse de natura aquæ, cum degat in ea. ideo difficile est cognoscere propriam operationem ignis. operationes autem propriæ organicorum deprehenduntur ex eorum figuris. Vnde quanto aliqua sunt habentia magis de forma, & distantia à materia: tanto magis erunt cognoscibilia. Et hunc credo fuisse intellectum Aristotelis.

F I N I S.

D. O. M.

